[redacted]

PHARETRA

DIVINI AMORIS

Antonii Malvasii
Auctore

LIBRI III.












N E A P O L I
TYPIS CAJETANI RAYMUNDI
MDCCCIV.
Cum publica venia.




EXCELLENTISS. AC REVERENDISS.
DOMINO

D. AUGUSTINO
GERVASIO

ORDINIS EREMITARUM S. AUGUSTINI
ARCHIEPISCOPO CAPUANO
REGIS NOSTRI, A SACRIS
A CONSILIIS STUDIORUMQUE PRÆFECTO
&c. &c. &c.



HARETRAM DIVINI AMORIS, *cujus filias sagittas* jamdudum *misit Dominus in renibus tuis* cum me cupido avidissime contemplandi incesseret, de ejus pulchritudine, et præstantia aliquid litteris mandaturus, tanta in ipso initio confusione et obscuri-



tate obrutus sum; ut nec unde potissimum inciperem, nec ubi desinerem internoscere potuerim; adeo omnia perturbata et impedita erant, ut nullum exitum mea ratio videretur habitura. Consului quotquot ad manus habere potui Asceticos libellos; multa animo volutavi. At nihil exinde. Incertior quam prius discessi. Sensi tandem ex solis tuis actibus, moribus; convictu, totaque vita facile posse cognosci quanti sit Pharetra illa, cujus *TU tela ferendo, Mille pates plagis* S. Amoris, et cæteros longe prætergressus, tantum supra ipsos virtute probatissimos emines; *quantum lenta solent inter viburna cupressi*. Magna hinc fiducia, erectoque animo ad TE accessi. Verum tanta luce ad Solis hujus adspectum sum perfusus, ut perstricta oculorum acie cœcus omnino, nisi ab incæpto discederem, evasissem. Perpauca quæ inde obscura di-

diligentia colligere potui his chartis committo, quas sacramenti religione devinctus TIBI Excellentiss. Domine sisto, TE exorans ut quod tuum est agnoscas, mihique parcas si TE hic in SS. viri Johannis de Cruce persona loquentem inducens, ut imperitiam infantiamque meam prodo, sic virtutem tuam omnibus elogiis, prædicationibusque dignisssimam aliis suspiciendam, atque admirandam exhibeo. Vale publico bono nate Excellentiss. Præsul.

Excellentiæ tuæ

Aversæ Kalendis Septembris 1803.

Humillimus ac addictiss. famulus
Antonius Malvasius.

Illustriss. ac Reverendiss. Dominus D. Cajetanus Gaglione, Metrop. Eccl. Neap. Can. S. Th. professor perlegat autographum operis superius enunciati, & scripto referat. Die 7. mensis Martii 1804.

F. ROSSI CAN. DEP.

EMINENTISS. ET REV. DOMINE

POst versatum diligenter, & attente consideratum Opusculum, cui *Pharetra Divini Amoris* nomen præfigitur, non in cæcum obsequium carissimi Amici, ac doctissimi viri, quod verum est, cujus mens & eruditio nunquam fuit nec officina nequitiæ, nec diversorium flagitiorum, sed semper promus condus armorum apprime utilium ad omne genus vitiorum propulsandum, sed re fateor vera, & juxta sententiæ meæ tenuitatem judico, Rem hanc esse numeris omnibus absolutam, ita ut edi in lucem quam citissime possit. Vere enim *Pharetra* est non solum *non venenatis gravida sagittis*, sed spiculis salutaribus referta, & ornata, quorum virtute terrenus, & proprius hominis Amor expugnetur, & Anima sui ipsius abnegatione munita nihil, nisi Deum optet, quærat, & amet. Decens equidem erat, & hoc per Auctorem nostrum assecutos nos esse & suspicimus, & lætamur, ut tandem aliquando posthabitis tot profano Amori turpiter oblatis næ-

niis

niis, auditu Christiano, ac honesto omnino indignis, de Amore sancto & sancte, & digne diceretur, & disputaretur, assumptis, uti felicissime factum est, tanquam sociis, quæ Augusti ævo viguerunt, & soluti sermonis elegantia, & proprietate, & musarum gratia, & dulcedine. Nihil igitur obstat, quin hoc totum quantum est, publici juris fiat, nisi Auctoritas Tua, Princeps Eminentissime, quæ ut accedat, Te exoro. Neapoli decimo sexto Kalendas Februarij.

Eminentiæ Tuæ Reverendissimæ

Humillim., ac Obsequentissimus Famulus
Cajetanus Can. Gaglione Pæn. Major.

Visa relatione Domini Revisoris, imprimatur. Die 12. mensis Aprilis 1804.

F. ROSSI CAN. DEP.

FESTINESE P. V. G.

U. J. Doct. D. Dominicus Genovese perlegat, & in scriptis referat. Neapoli die 23. Septembris 1803.

F. A. CAPP. MAJOR.

S. R. M.

CLarissimi Viri Antonii Malvasii Opus *Pharetra Divini Amoris* inscriptum, Te jubente, pervolutavi. Cumque illud omnigena qua humana, qua divina scatens eruditione puriori non adscitæ, sed nativæ latini sermonis elegantiæ sociata; ac Tuis tutandis juribus, bonisque moribus fovendis optime factum reperissem, per litterarias formas in publicam lucem emitti posse, immo quantocius deberi censeo. Dabam Neapoli X. Kalendas Februarias an. MDCCCIV.

Majestatis Vestræ

Humillimus Cliens
Dominicus Genuensis.

Visis approbatione Regii Revisoris D. Dominici Genovese, relatione Rev. Regii Cappellani Majoris, consultatione Regalis Cameræ S. Claræ, ac Regali rescripto de die 21. currentis mensis, & anni &c.

Die 22. mensis Martii 1804. Neap.

Regalis Camera S. Claræ, providet, decernit, atque mandat, quod imprimatur cum inserta forma præsentis supplicis libelli, ac approbationis dicti Regii Revisoris; Verum non publicetur nisi per ipsum Revisorem facta iterum revisione affirmetur quod concordat servata forma Regalium ordinum; ac etiam in publicatione servetur Regia Pragmatica, Hoc suum &c.

MASCARO. CIANCIULLI.
V. A. R. C.

DE MARCO &c.

Izzo Canc.
Reg. fol. 43.

Illustris Marchio de Jorio Præs. S. R. C., & cæteri Spectabiles Aularum Præfecti, tempore subscriptionis impediti.

Reg. fol. 13. *a t.*
Lama.

ERRATA:			CORRIGE.
Pag. 2. vers.	21.	Contingerit	-- Contigerit
15.	9.	Virtutis	-- Virtutes
21.	11.	amores	-- amatores
49.	19.	ea quæ	-- eaque
65.	9.	cecinit	-- canit
135.	24.	se ab ab	-- se ab
160.	15.	celeris	-- celer
167.	23.	parque volucribus	-- parque Cydoniis.

Telis Cydoneis proripuit; meam	Telis proripuit; solicitam meam.

PHARETRA

DIVINI AMORIS

LIBER I.

IN QUO AMOR PROPRIUS DEBELLATUR, ET SUI IPSIUS ABNEGATIO INDUCITUR.



METRUM I.

S. JOHANNES DE CRUCE

COELESTI FLAGRANS AMORE.

DIc mihi SANCTUS AMOR *placidas quas incolis oras?*
Avectum longe quæ tenet alma domus?
Dic ubi firmaris niveis tentoria velis;
Dic ubi sit lectus, dic ubi mensa tibi?
Ne miser incipiam per collem & prata vagari,
Lustraque defesso non adeunda pede.
Cur fugis? Heu cur te abscondis pulcherrime rerum?
Anne meo magno crimine læsus abis?
Parce precor si forte tuum, quod Numen adoro,
Imprudens læsi nescius ipse mei.
En tibi me dedo, memorandas exige pœnas;
Non renuo jussus tristia cuncta pati.

A Ne

Ne placeat pretiosa odia , at constantia magno
Exercere ; iras pone , piusque veni .
O mitis placidusque veni ; solare jacentem .
O mihi sola mei spesque , salusque redi .
Deficio ; mors ante oculos furibunda vagatur ,
Perque sinum lacrymæ fluminis instar eunt ;
Adspice me immodici simulacrum grande doloris ;
Te moveant gemitus , te moveantque preces.
Ast tu cura mei si te pia tangit , & illa
Quæ viguit pietas intemerata manet ,
Rumpe moras , propera , vel me tua visere tecta
Da saltem facilis , meque venire jube .
Te per hyperboreas glacies , Tanaimque nivalem ,
Per Scythicas rupes te mea vita sequar .
Non me silva suis densis ambagibus horrens ,
Non me solliciti terreat ira maris .
Non hic lethiferæ undæ , illic salebrosa movebunt
Saxa , nec obliquo dente timendus aper :
Ibo animis contra . Quod si me occumbere morti
Contingerit , tali morte beatus ero .
Tu tamen ossa feris laniata ; informe cadaver
Ejectum aut undis da miseratus humo .
Impositusque brevis quem cernat & inde viator
Inscriptus signet tristia fata lapis :
Hic jacet immiti consumtus morte Johannes,
Dum vitam terra , dum sequiturque mari.
Hæc si quando placet fuerint ; nunc adspice quæso ,
Adspice me miserum , nec mea damna grava .
Hæc gratos nuper sedes afflabat odores ,
Clara tuæ certe proxima signa fugæ .
Evasi , intonsique gregis vestigia legi ,
Nil præter lacrymas , & mea damna videns .
Quæ-

Quærentem, & sine fine iterumq; iterumq; vocantem
Me spes, me totus destituitque vigor;
Solaque respondet gelidis e vallibus echo,
Terrores miris ingeminatque modis.
Adspicis annosas quercus, & robora passim;
Illa tuum carum, perlege, nomen habent.
Cernis ut illa meos multum miserata dolores,
Scripturæ molles exhibuere sinus.
Te clamant, revocantque illa, & sermone diserto
Instant; ut venias officiosa rogant.
O vos dulcisonis Zephyri spirantibus auris;
Sic vos perpetuo pascua grata colant,
Ducite Dilectum, properet mora nulla, revisat
Optatus nostræ candida tecta domus.



PROSA I.

TYR. = Quid audivi! Hic qui ab ineunte ætate per Sanctorum vestigia strenue ingressus, tantos in dies effecit in solida pietate processus, & dum ejus primordia ad integerrimum cumulatæ virtutis exemplar effingebantur totus sibi displicebat, atque contentissimo labore ad majora assidue nitebatur; cujus nunc vita miraculum est, sic pallet & ingemit, seque sancti Amoris jacturam jam fecisse arbitratur? Adeone eum hæc habet cura sollicitum, & ubi nullus est timor tanta trepidatione conflictatur? Et quid de me statuam, quem situ

torpentem, nullaque futurorum cogitatione commotum non tot voces excitarunt, non ad meliora tot divinæ provocavere monitiones? Me justus exanimat timor. Hei mihi! Nullus sum.

METRUM II.

ERgo semper humi lapsus, fractusque jacebo,
Exiguum ad quodvis segnis inersque bonum!
Inque dies magis atque magis superante veterno
Cogar quamprimum nescius esse mei!
Et potero demens mihi tantum inferre malorum,
Et patiar tanto funere sponte premi?
Ultio segnitiem tantam mox quanta sequetur!
Quas memores pœnas improbus inde dabo!
Iratus Deus ultor adest. Interritus ecquis
Iratum poterit sustinuisse Deum?
O dolor, æterni æternæ proh judicis iræ,
Tuque rigor nullis exsaturande modis,
Vos ego respiciens non expergiscar, & acer
Non cupiam caute consuluisse mihi?
Non te conveniam supplex, lacrymansque, gemensque
O Pater omnipotens, auxiliumque petam?
Magdala, Zachæus, mulier quoque adultera, latro
Me sperare jubent si meliora sequar.
Parta salus istis quoniam ingemuere, suorum
Contrito scelerum corde dolente nefas.
Ille dolor justas Domini compescuit iras;
Ille dolor tantis eripuitque malis.

O

O utinam me cura eadem, similesque dolores
Exciperent, felix undique vita foret.
Prodigium magni Niobes stas facta doloris,
In statuam subito versa gemen:is aquæ.
In lacrymas sic totus eam, sic nulla supersint
Membra mihi, & penitus corpus inane ferar.
Ora modis uxor Lothi pallentia miris,
Sal quando (miserum) facta, repente tulit.
Sit mihi sors eadem; simulacrum sponte doloris
Efficiar, stabili ne movearque loco.
Hoc placeat magis; est Niobes nam nomen inane;
Figmentum vanum vana poësis habe.
I pictor vivos actutum sume colores,
Effinge & tabulam, quam tamen ipse volo.
Effusis stet imago comis, impexaque barba
Horrescens pectus contegat, atque sinus.
Flammescant oculi planctu, maciesque cadentes
Interfusa genas tristius ora notet.
Oblongum collum exsangui sit gutture fœdum;
Arida circumdans arctet utrumque cutis.
Da patulas nares; fac ut spirantius edat
Triste supercilium fata dolenda viri.
Si quæris qualem vestem sibi poscat imago;
Pulla placet, variis sed lacerata modis.
Discissa hæc tamen ostendat tum pectus apertum,
Tum tralucentes sicca per ossa sinus.
Tale mei simulacrum exstet; sim talis & ipse.
Fac pictor; pretium stat tibi grande satis.

PROSA II.

SEd quid hæ lacrymæ cum egregiam Domini beneficentiam minime vulgari perfidia & impietate rependerim? Scio. At in sententia manebo? Avertat Deus. Et nunc tam præclaram occasionem elabi patiar e manibus, cui similem fortasse nullam sim in posterum habiturus? Nihil minus. Conveniam hunc SS. virum, quem experta virtus ad tantam rerum divinarum intelligentiam, & humanorum contemptum adduxit; qui ad aliorum salutem acriter & scienter solet incumbere. Confido hanc rationem exitum habituram. Hem mitissime Pater respice in me = JOHANNES = Quid tibi vis fili? = TYR = Peccator sum. Dominum meum quæro. Ostende viam qua ad optata perveniam. Nullas in me divini amoris scintillas sentio. O me perditum! = JO = Ne animo concidas. Nihil facilius quam Dei opitulante gratia summum bonum summo amore complecti. Nihil ab ingenuo homine magis alienum, quam ingrati animi vitium. Si natura ipsa propensi sumus ad bene merendum de iis quorum in nos beneficia constitere; si scelus, si monstrum est eos injuria appetere quibus conlatorum vi beneficiorum sumus devincti, et qui nos amant; age quomo-

modo erga Deum nos affici necesse est? An longa oratione persequar quæ in te ille contulit? Quot nominibus ei tenearis obstrictus? Quæ illius in te habeas æterni amoris egregia pignora? Cum autem hic non ineunda, sed referenda sit gratia, vide quæ et quanto major adhibenda sit cura; nullum enim officium referenda gratia magis necessarium est. TYR = Stipes sum si non sentio = JO = *Dilexit te, & tradidit se pro te.* Quis ille; quis tu = TYR = O prodigium amoris sub cujus pondere pene ipsa Fides, ut ita dicam labascat, et oppressa succumbat! = JO = Et modus ipse quo hæc gesta sunt, & quæ rem tantam sunt inde secuta, nonne hæc prorsus mirabilia? Quoties tu perfidus et excors.... Scire piget = TYR = O rem incredibilem, et miserrimam! Tantum ne desipere, in tantam me malorum colluviem pessumdare potui? Quid misero mihi denique restat? = JO = Vivida spes in gratiam Domini redeundi. Brevis et facilis via = TYR = Beasti. Arripiam; tantum indica quænam illa = JO = Christus, et hic crucifixus; Expende ejus verba: *Qui vult venire post me abneget semetipsum.* O si dicto auscultes, quanta in te derivabis bona! Totus ejus amore flagrabis. Nihil ad votorum summam desiderabis = TYR = Tantum ne momenti in hac mei Abnegatione! Adeone minimo pretio res tanta stabit?

METRUM III.

PUlvis, cinisque sordidus,
Putredinisque vasculum
Cum sim, nec ulla fulgeam
Vel corporis vel spiritus
Præstantia præ cæteris,
Quid quæso magni ego abnego
Si me severus abnegem?
O sancta, blanda, mitia
Præcepta summi Numinis!
Est quippe fœnum debile,
Est & caducus flosculus
Mortalis omnis, præditus
Quamvis juventæ robore:
Quod si superbus efferat
Se dote clarus ingeni,
Hunc jure quisquis dixerit
Cor vile, follem turgidum
Inanitate nobilem.



PRO-

PROSA III.

JO = Ad hanc tamen tui Abnegationem maximo tibi ne pergas impedimento futurus est infamis ille *Amor*, quem vulgato nomine *Proprium* dicunt. In hunc toto agmine confligendum tibi est. Sed & sagacitate, prudentiaque tibi maxima opus est ut immunem ab illo te asseras. Aliena sub specie latitans ille subrepit non raro, & seducit, & evertit = TYR = Tantæ ne ad nocendum in illo vires? = JO = Non ambiges si ejus expenderis naturam. Hic omnia ad se trahit. Eo incensus homo se omnium instar arbitratur; vult se unum omnibus dominari, cunctos sibi subjici, omnia sibi vindicare. Exulant longius ab eo pietas, clementia, quodque magis incommodat Christiana humilitas. Quo si quid fœdius excogitari queat tu ipse inspicito = TYR = Sui ipsius ergo in homine amorem damnabimus? = JO. = Si sui ipsius amori eandem ac amori proprio significationem affingamus, cogemur huic præclara multa tribuere, quæ in tale monstrum, quale est amor proprius, nullo pacto cadere possunt. Sed cum non sit penes nos inveteratam, & communi usu receptam vocabulorum vim pervertere & detorquere a sensu passim & vulgo recepto, sic habe mi Tyro, aliud

sui

sui amorem, aliud *amorem proprium* importare. Amor *nostri* est amor nostræ conservationis, nostræ felicitatis. Hic cum a Deo proficiscatur, rectus & purus defluit. Est quippe imago immensi & æterni illius amoris, quo summum Ens seipsum prosequitur, cujus scintillam nobis indidit, cum nos ad seipsum ordinavit. Hic nostri amor debet omnino conformari sanctitati, et voluntati ipsius Dei qui illum nobis indidit. Quærere felicitatem ad rationem quam indicat fœda nostra in malum pronitas, illam ex creatis rebus velle haurire, id non est uti, sed abuti privilegio illo. Non est id seipsum amare, sed perdere. Est corruptam voluptatem suam, non autem Dei legem persequi. Hic est ille quem *Proprium Amorem* vocat Religio. Hunc si sapimus Vatiniano odio detestari debemus.

METRUM IV.

Nostri pudicum, sobrium,
Justum, decorum, nobilem
Nobis amorem provida
Natura mater indidit.
Hæc vis amoris vivida
Qua nosmetipsos perpetim
Amamus, urget incitat
Beatitatem quærere.

Una

Uno in Deo sed singuli
Habemus istam. Fallimur
Si res creatas credimus
Nos posse lætos reddere.
Illum jubemus tramitem
Amore nostro persequi.
Debemus illo tendere,
Natura quippe hoc præcipit.
Hanc semitam si deserit
Injustus, atrox, impius
Amor fit ille, hunc maxime
Natura abhorret, rejicit.



PROSA IV.

AFfectiones sunt animi aliqua de causa commutationes, ut Amor, Odium, Desiderium, Timor, Spes, Gaudium, Tristitia. Has anima suscipit, et originem trahunt ab ejus intellectu, et ab illo quem memoravi felicitatis appetitu. Si harum perspexeris naturam, non damnabis. Usus et objectum in judicium veniunt. Si hæc bona et laudabilia, bonæ illæ quoque et laudabiles. At si deforme et illegitimum sibi præfigunt objectum, si in pravum degenerent usum, jure improbabis, jure damnabis. Magnæ exinde virtutes; magna vitia emergere possunt. Hoc postremum dum accidit, vulgus affectiones illas vocat *Passiones,*

quæ

quæ sunt perturbationes, seu motus animi in vetita ruentis. Hinc Cicero Tuscul. IV. ait. *Est igitur Zenonis hæc definitio ut Perturbatio sit quod* παθος *ille dicit, aversa a recta ratione contra naturam animi commotio.* Est igitur *Passio* nomen odiosum, quandoquidem excessum, et inordinatum animi motum arguit. Hujus Deus auctor esse nequit, cum auctor legis nequeat auctor esse ejus quod legi adversatur. Quicquid ergo nos ab illo veritatis et justitiæ fonte avertit, id ex nostra proficiscitur pravitate, dum pronitatem illam quam ad bonum virtutis vertere debemus, ad malum convertimus. Frustra hæc duo confundere quis niteretur. Licet enim videantur illa in nobis oriri ex eodem principio, tamen principium illud non est simplex, sed duplex. Maxima ergo injustitia est velle Deum auctorem facere omnium illorum quæ falsa felicitatis apprehensio nobis ingerit, in eumque corrupti cordis nostri voluptarias motiones refundere. Quid enim hoc nisi ipsum Deum peccati auctorem facere? Haberetur alias ut lex naturæ inordinata vis illa, quæ ad malum voluptatis impellit. Quando ergo *passionibus* suis indulget homo, illas fovet, sectatur, jam ipse libere et legem pervertit, et consilium sui frustratur Conditoris = TYR = Id sine juramento affirmanti facile crediderim = JO = Ad inordinatos hujusmodi compescendos cordis tumultus, carnisque motus egregium in nobis inseruit Deus ipse præsidium *Rationem*. Hac veluti in-

injecto fræno ferocissimum calcitronem, et sternacem equum illum concupiscentiæ contineremus. Hac veluti clarissima præeunte luce, divina opitulante gratia per offusas ab horrenda illa nocte tenebras dirigeremus pedes nostros in viam pacis, semper vero et solido bono larvatam voluptatis speciem, et blanda inanium illicia oblectamentorum posthabentes = TYR = Agnosco latissimum discrimen quod inter *justum sui amorem*, & *proprium amorem* intercedit. Bonus primus, alter pravus.

METRUM V.

Quisquis amore
Ductus honesto
Cogitat alta
Scandere veræ
Culmina laudis;
Quærit & hujus
Sed sine fastu
Commoda vitæ,
Criminis expers
Hic erit omnis;
Nullaque justum
Noxa tenebit.
Ast proprii *quem*
Urget amoris
Vis malesana
Laude carebit
Improbus omni.
Nulla laborem
Dona sequentur.
Cassus in auras
Ibit inanes
Ardor iniquus.
Obrutus atra
Impius ille
Nocte jacebit.

PRO-

PROSA V.

JO = Est et eo quoque nomine damnandus *Amor proprius* quod pessimus simulator, et turpis hypocrita ille est = TYR = Parcimus sic incedenti; nulli enim scandalo erit, idque maximo lucro apponerem in tanta horum temporum iniquitate, scandalis ubique grassantibus = JO = Et putas simulationem illam diu perduraturam? Ficta brevi evanescunt. Res e sententia non cedit. Actus hominis virtute animati gratum diffundunt odorem, seque rite et recte in officio continent; nullum lædunt, cum id quod bonum est, semper tale se prodat. At hypocrisis si unum aut alterum, aut paucos fallit, multitudini certe nunquam imponet; statim enim ejus fœditas apparebit, omniaque turpi inconstantia cernes inquinata, dum hominem hac peste afflatum, modo audacia elatum tumide se efferre, modo ad imam se demittere cernes vilitatem. O quam facile cum prudentia deteget!

METRUM VI.

INgredere Uxor Jeroboam (*sic fatus Ahias*)
Eccur te simulas aliam ? Depone figuram
Quam mentiris ; amant proprio nam vera corusco
Lumine se ferri , ficta & simulata repellunt .
Excipit his te turpis amor Prudentia verbis ;
Insidias , fraudesque tuas feliciter illa
Detegit , atque suis te ablegat longius oris ,
Nulla tibi ut sedes inter queat esse decoras
Virtutis , certusque locus , sed tristis agaris
Exul in horrentes vitiorum abjecte catervas ;
Infelix ubi jam nullo infuscante colore ,
Omnibus & notus , propriaque in veste retectus
Dedecori pateas , odiisque furentibus ultro
Subjiciare miser , lacrymosa compede vinctus ,
Artibus haud ullis adjutus , ut ante , malignis .

PROSA VI.

ECce urget Caritas, et ad arduum aliquod opus impellit. Non pecuniam solum, sed ingentem corporis laborem exigit ; vitam ipsam interdum requirit. Hæc quomodo finget , et præstabit Proprius Amor ? An tanta vitii vis ut

ut se constanter pro virtute obtrudat? Non tanta, crede mihi vi pollet. Si Thrasonicam jactantiam inflatis buccis effundat; si robur fortitudinem, liberalitatem, patientiam disertissime verbis enunciet; cum ad rem ventum fuerit, miro illum modo languescere cernes. Jam fraus detecta est; jam justis indignationibus excipietur homo ille; jam fabula et ludibrium ipsius vulgi est. O simulatio semper nequissima! Tu duplex iniquitas. O Christe averte a nobis hanc pestem.



METRUM VII.

O Utinam æterno jacuissent funere mersa
Obruta jamdudum Pharisaica regna ruinis;
Quæve adeo Solymas fœdavit turpis Erinnys
Nunquam huc e Stygiis remeasset HYPOCRISIS *oris.*
Heu quæ tanta hominum potuere piacula terris
Hanc pestem revocare; nefas & spargere tantum!
Polluit innocuos ipsos, sævumque venenum
Non timet egregiis factis afflare piorum,
Quippe sagax irrepit, & haud bene visa profundo
Pectore se condit, mentemque infuscat inani
Spe, desiderio & terrenæ laudis obumbrat.
Incipit hæc Domini paulatim abolere figuram
In Cruce confixi; hinc raro qui sponte fugacis
Gloriolæ Mundi non pertentetur amore,
Qui sua vel studeat benefacta abscondere prorsus

In-

Invenies aliquem, tanta est in peste nocendi
Vis; tantum horrendo consurgit robore fulta.

PROSA VII.

TYR = Hæc ut libet vera sint; inficiari tamen non possumus aliquid quandoque boni ex proprio Amore extundi. Ille formidine pœnæ hominem a legum violatione avertit, et exterius saltem eum peccare non sinit. Videtur aliquo modo Caritatem ipsam feliciter æmulari. Ecce Caritas, benigna cum sit, miseretur et commodat; libenter sustinet et patitur, idque propter Dei amorem. Idipsum, licet propter suum emolumentum, peragit Amor Proprius; peragit tamen. Non invitus assentieris nullum omnino actum esse qui ob Dei amorem, utque Deo placeamus a nobis suscipiatur, quem et suscipere nequeat Amor Proprius, licet ob perversum illum quem innui finem = JO = Mentita est iniquitas sibi. Adeo ne ignoras Amoris Proprii naturam? Quomodo tibi venit in mentem hunc in proximi utilitatem dirigi, et ut rivulum ex caritate proficiscentem accipi?

METRUM VIII.

Dulcis ad mellis revocare possis
Indolem si fel; potes & corusco
Forte si quando tenebras creare
Solis in ore;
Tunc Amor turpis Proprius nefandum
Exuet vultum; sua tunc vetusta
Arma deponet, bonus & figuram
Sumet honesti.
Ursa cui rapti catuli relinquet
Efferas iras potius; feroci
Temperet motu Leo dum cruento est
Vulnere pressus,
Quam suum ponens Amor ille morem,
Alterum vultum bene mentiatur,
Et brevi saltem tegat atque celet
Tempore virus.
Namque tam fœdus, truculentus, atrox
Ille decurrit, nequeat per horam
Ut pium, purum, nitidum, bonumque
Se dare nobis.

PRO-

PROSA VIII.

TYR = Non adeo acerbe decernas. Scimus non omnia Infidelium opera esse peccata. Multos ex historiis discimus extitisse Gentiles qui magnam sibi ex rebus bene gestis famam compararunt. Horum vel continentiæ, vel parsimoniæ, vel temperantiæ præclara facinora stupemus, et ipsis Christianis æmulanda proponimus. Quis ignorat eos Amore Proprio ad tanta fuisse compulsos? Vincebat Amor laudum, vincebat arrecta, et non satiabilis famæ cupido. = JO = Erras. Ordinatus sui Amor, laudabilis de bono nomine cura, honestas, frugalitas, temperantia, et virtutes quæ sui pulchritudine in animis non omnino depravatis desiderium excitant et amorem, Ethnicos illos ad fortia, et clara impulere facinora. Nihil ibi proprius Amor sibi vindicavit. Omnia hic perdidisset. Recte usi sunt illi lumine naturali; ratione se duci siverunt. Et licet nihil omnino ad æternam vitam illæ præclare res gestæ aptæ fuerint; meritum nullum in illis virtutibus ad animæ salutem inesset, magna tamen exinde in bene moratum animum consolatio, justæ laudes, debita præconia.

METRUM IX.

Exerit ipsa suos virtus pulcherrima vultus
Luce sua effulgens, perstatque interrita contrà
Luctantes ventos, tempestatesque sonoras.
Mole sua hanc stantem nullæ de sede movebunt
Adversæ vires; nullæ infuscare tenebræ
Evaleant. Unam hanc rigidi metuere Tyranni,
Officiisque piis Reprobi coluere frequenter;
Hæc facit una bonos, nullum hac continget abuti.
O salve virtus, decus immortale tuorum;
Ornamentum ingens, fructus, pretiumque laborum,
Te quæcumque habeant terræ, quacumque pererres
Suspicimus, colimus, læti reverenter adimus.

PROSA IX.

TYR = Hæc ita se habere nullus dubito. Non dicam quod Amor Proprius æmulatur caritatem (*) quod ratione ducitur, quod aliquid boni parere possit et alia hujusmodi cum quodam magni nominis Gallo Scriptore = JO = Falsa omnia. Semper inordinatum motum di-
cit

(*) Hæc omnia docet Dominus Chantaresme in Tractatu De Amore Proprio.

cit ille; semper rationi refragatur; nunquam subdit se virtuti, delectatur fraude, mendacio, et cum sola hypocrisi societatem est aptus coire. Omnium quæ hactenus dixi do tibi egregium fidejussorem Paulum. En tibi ejus verba 2. *Timot. Cap.* 3. „ Erunt homines *seipsos* „ *amantes* cupidi, elati, superbi, blasphemi, „ parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, „ sine affectione, sine pace, criminatores, in- „ continentes, immites, sine benignitate, pro- „ ditores, protervi, tumidi, et voluptatum „ amores magis, quam Dei, habentes speciem „ quidem pietatis, *virtutem autem ejus abne-* „ *gantes* " Vidisti qui et quot erumpant pessimi frutices ex venenata illa Amoris Proprii radice? Et ne Gallus ille permaneat in sua assertione qua propugnavit evenire interdum ex animi sententia improbis illis ut latitent sub specie caritatis, christianæ humilitatis, aut alterius virtutis, subdit statim Apostolus quod: *Insipientia eorum manifesta erit omnibus*.

METRUM X.

SI tu scire cupis qualia funera
Nobis turpis Amor Proprius afferat,
Ne quæras alibi; *sedulus inspice*
Unum te; *liquido cernere nam potes*
Quanti causa mali, perfidus extitit;

 Quan-

Quantis ille dolis, quotque doloribus
Te pressit miserum, tum quibus asperis
Infixit scopulis, fluctibus obrutum.
Quaenam aerumna gravis, quive nocentior
Te casus tetigit, cujus originem
In peste hac nequeas noscere certius?
Haec haec una furens omnia perdidit;
Haec ipsa implacidis facta tumultibus
Et cladem trepidis intulit urbibus,
Et dulci populos foedere jamdiu
Devinctos, paribus jussit ad invicem
Decertare odiis, inque ferocia
Immisit subito mutua vulnera.

PROSA X.

TYR = Stat sententia. Pessimus hostis est Amor ille = JO = Hoc debellato plana et expedita ad tui ipsius Abnegationem semita patebit. Defervescet ardor ille, quo ad creata turpiter trahimur, si nullam nostri nisi in ordine ad vitam aeternam suscipiamus curam. Taedium fastidiumque concipiemus omnium quae a damnato, quem odit Christus, Mundo plurimi aestimantur. Gradus, honores, dignitates, divitias quibus tantopere inhiant, quaeque mirabundi suspiciunt caeci homines nihili prorsus faciemus. Haec ut fumum, ut auram fugientem, ut indigna prorsus amoribus nostris putabimus.

Ju-

Justo furore in omnes inhonestas corporis voluptates inflammabimur, has porcis relinquemus. Durum certamen fateor. At viros nos præstabimus; adversantibus undis et ventis certum nostrum iter, ne ad scopulos hæreamus, tenebimus.

METRUM XI.

Non ille cunctis asperioribus
Diris petendus navita, flatibus
Qui ad saxa versis dat ferendam
Exitium in miserum carinam?
Fertur secundis in mala motibus
Natura præceps nostra per obvias
Currens voluptates, nec illis
Se facilis patitur revelli,
Quam dulce lenis quo vocat impetus
Carnis rebellis vertere carbasa,
Mollesque monstratos adire
Fluctibus in placidis recessus!
Ast cerne quantis horreat abditis
Æquor ruinis quod placidum putas;
Quot monstra, fœdas quot Charybdes,
Quot scopulos habeat latentes.
Impone cautus fræna libidini;
Nec qua videbis currere plurimos
Tu curre; mores pessimorum
Perpetuis odiis sequare.

Non quo itur ibis; selige semitam
Sanctam, malignis cœtibus inviam;
Hanc carpe, lætus sic beatæ
Ad Patriæ properabis ædes.

PROSA XI.

TYR = Hæc quo majora facis, acriores mihi subdunt stimulos, et ad tantum bonum mihi comparandum incendunt. Edissere quæso quid sibi velit *Abnegatio* illa; quandoquidem ingentia quæ de ea prædicasti non videntur cadere potuisse in illos celebres Philosophos Ethnicos, quorum nonnulli divitias contempsere, alii a carnis voluptatibus abhorruerunt, honores ultro delatos rejecere alii; et tamen hos Abnegationi impense studuisse, in ejusque arcem invasisse non diffitebimur = JO = Quid arrogantes Ethnicos illos memoras, quasi hi Abnegationem de qua loquimur, fuerint assecuti? Nihil minus. Ignota prorsus illis Christiana Humilitas; immane popularis auræ desiderium, et superbiæ tumor ad illa compulit. Hi singulares, et præ cæteris excellentiores apparere volebant, et inanis gloriæ cupidi fastum aliorum, iniquiore tamen suo fastu, calcabant. Is amor, hoc studium. Scimus posse aliquem vel proprio urgente amore, vel mania dominante ardua quædam aggredi. Cuinam ignoti Circum-

cumcelliones ? Mezentium contemptorem Divum in Virgilio, Alcastum in Torquato nostro, Jarbam in Metastasio novimus, et ex Apostolo discimus posse aliquem caritate destitutum corpus tradere ut ardeat. Scilicet ut grande sibi nomen comparet, seque ut quid hominum supra vulgarem conditionem efferat et jactet, poterit quidem impigre quis tanta moliri. Sed aufer hanc inanem gloriam. Adeamus intimum virtutis sacrarium. Abdet se in solitudinem? Abdicabit se ibi omnibus suis? Voluntarie carnem suam heros ille jejuniis, cilicio, humi cubatione macerabit; ubi tamen nullus horum testis sit, unde nulla de eo erumpet fama? Credat Judæus Apella. Non abnuo inter illos, quos ut heroas antiquitas commemorat prædicatque, exstitisse nonnullos qui naturæ lumine ducti, bonamque sortiti indolem, virtutibus inclaruerint; eorum præclare res gestas admiratione et elogiis dignas censeo. Absit ut eorum virtutes vitiis accenseam; ajo tantum illos si unius, aut alterius virtutis se eximios præstitere cultores, in aliis miserrime defecisse, seque nunquam abnegasse. Ecce laudamus Catonis severitatem; obstupemus ad ea quæ Romanæ Historiæ Princeps nitidissime nobis de ipso exhibet. Scimus tamen contra ea *pollucibiles* ejus cœnas, ebrietatemque nec per totam noctem edomitam. In Mecœnate laudibus ad cœlum extollendo totas suas vires exprompsit consumpsitque Poesis. Uxorem tamen suam grato animo illum Augusto

com-

commodasse non ignoramus. Sed quo imprudens evasit oratio! Pœnitet pigetque hæc innuisse. Non hos ad miserabiles usus linguam nobis est largitus Omnipotens. Linguam caute custodiamus.

METRUM XII.

Quisquis audacem cohibere linguam
Noverit cautus, caret hic pudendis
Sordibus cunctis quibus inquinatur
Turba nocentum.
Namque Jacobus docet hoc magister,
Inclytus testis, statuitque dicens
Esse perfectum penitus carentem
Crimine linguæ.
O nimis felix, nimis o beatus
Verba qui justa moderatur arte;
Syllabas prudens trutina fideli
Ponderat omnes.
Hic dies ducet placidos senectæ;
Pax alet, dulcis requies fovebit;
Viset hunc pleno properans benigna
Copia cornu.

PRO-

PROSA XII.

TU interim si Abnegationis de qua loquimur naturam expenderis, longissime ab ea abfuisse dices Ethnicos quos incensissimis studiis extollit antiquitas. Vult Abnegatio ut te nihil omnino esse existimes; tecum juste et benigne actum credas si probris omnibus appetaris. Quæcumque te invadant ærumnarum, dolorum, injuriarum agmina, ea tibi jure debita opineris, firmissime existimans nullum adeo grave supplicium excogitari posse quod tibi puniendo par esse queat = TYR = Profecto quisquis peccavit, sic secum statuere debet. Irascor tamen mihi. Me adversa semper in transversum egerunt. Non ea mihi vis animo ut amara illa quæ innuisti facile deglutiam = JO = In unum Amorem Proprium noxam hanc conferes, si quæ paulo ante commemoravi ad memoriam revoces = TYR = Fateor. Sed nunc ad mentem venio.



ME.

METRUM XIII.

Quicquid acerbi dira tyrannis
Protulit unquam; sævius omne
Pessimus olim quod Læstrigonum
Antiphates rex jussit in antris
Id leve prorsus, quin nihil esse
Judico si illis comparo pœnis
Quas mea poscunt crimina multa.
Ecquid quereris mortale genus
Tristia quando pateris? Cur et
Aurea pulsat sidera clamor,
Resonant gemitu compita longe?
Parcite lacrymis, uberiores
Crimina pœnas vestra reposcunt.

PROSA XIII.

JO = Placet. Tantum in proposito maneas; utque bene suscepta hujusmodi cura felicem recurrat ad exitum, juratum hostem tuis te exhibe appetitibus. Quod si Ethnicus homo Cicero exclamavit: *Efficiendum omnino ut appetitus rationi subdantur*, quanto magis in animum id inducere tibi debes tu Christianus ho-

homo, cui non in morem insanientis equi lascivire, non sicut cæteri qui spem non habent mammonæ inservire, non in caducarum inani substantia rerum spem ponere gravissime præcipitur, sed Christum Crucifixum induere debes? Res sic comparata est. Nunquam Deo impleberis nisi teipse evacues, nisi teipse penitus derelinquas = TYR = Hem qui fieri istud poterit? Si alia rei de qua agimus expediendæ via desit, hærebimus perpetuo, nec quo volumus perveniemus.

METRUM XIV.

Junge igni glaciem, coëant Agnæque Lupique;
Flagret amore trucis tremefacta Capella Leonis,
Flammivomo tenebræ fundantur ab ore lucernæ,
Et quæcumque simul pugnantia viderit Orbis
Fac in amicitias veniant, et fœdera jungant,
Et tunc, crede mihi, quod nunc deposcis habebis.



PRO-

PROSA XIV.

JO = Homo captus oculis nequit lucem adspicere. Orandum ut det Dominus intellectum, adaperiat oculos nostros, et tunc omnia infusa luce clarescent. Interim libeat tantisper tecum agere. Dic sodes. Formant ne mores nostros amores nostri? = TYR = Utique, cum sit amoris similitudinem invehere amantem inter et amatum, et quo vividior est illa amoris flamma, eo major illa consurgit similitudo = JO = Qui ergo amores suos creatis rebus sacrat, jam vilis et ignobilis fit sicut illæ = TYR = Nullus dubito; et huc respexit *Psal.* 113. ubi de his qui Idola colunt dicitur. *Similes illis fiant qui faciunt ea, et omnes qui confidunt in illis* = JO = Addiderim non solum creatæ rei, quam amat similem fieri stultum illum amatorem, sed et viliorem et ignobiliorem, quia amor non solum æquat, sed subjicit amantem amato.

ME-

METRUM XV.

Dirus amor fortem imbelli subjecit amato
Amantem, et istum verbera
Servitiumque pati
Jussit, non contentus eos æquasse sub una
Eademque lege dispares
Conditione satis,
Scilicet hoc deerat curis, numeroque laborum
Ardens maneret obrutus
His ut amator aquis.

PROSA XV.

ET id Philosophi concordes ingerunt = JO = Sequitur ex his hominem qui alicujus creatæ rei præpostero flagrat amore, ineptum esse qui Deo conjungatur; vilis enim et abjectæ illius rei natura multo longe majorem cum Dei celsitudine repugnantiam habet, quam lux cum tenebris, et sicut hæc una stare non possunt, multo magis illa. Quid enim Cœli, Terra, et omnia quæ in eis sunt si Deo com-

pa-

parentur? = TYR = Nihil profectò. Præclare *Jerem. IV. Adspexi Terram, et vacua erat et nihil, et Cœlos, et non erat lux in eis*. Si ergo omnes creatæ res nihil sunt, jam nihil quoque erunt, imo et nihilo ipso miseriores affectus et amores qui in illis collocantur.

METRUM XVI.

O*He si* Nihilo *minus quid esset,*
Et hoc si inferius quid esset, istud
Esse dicite quicquid insolenter
Vos facit Domino Deo rebelles,
Avertitque animos tenebricosos
A lucis radiis, trahitque cæcos
Illuc unde negant redire quemquam
Orci immania monstra; mansionem
Ubi supplicia acriora, et omnes
Pœnæ perpetuam sibi locarunt.

PROSA XVI.

TEneo: Dicere vis quod si creata omnia comparate ad Deum nihil sunt, jam anima quæ in illis amorem suum collocat, ipsa quoque nihil sit = JO = Probe. Jam vero pulchri-

chritudo, bonitas, sapientia creatarum rerum quo loco habebuntur si Deo comparentur? = TYR = Nullo prorsus, nullo = JO = Quid divitiæ, voluptates, gloria hujus sæculi? = TYR = Nihil omnino = JO = Hæc omnia vere et solide in Deo inveniuntur. Hinc jure nos arguit Sapientia, et se horum omnium veram Parentem demonstrat, et altricem *Proverb.* 8. „ *O viri* ad vos clamito, et vox mea „ ad filios hominum . . . . Audite quoniam „ de rebus magnis locutura sum, et aperien- „ tur labia mea ut recta prædicent . . . . Ju- „ sti sunt omnes sermones mei, non est in „ eis pravum quid, neque perversum . . . Ac- „ cipite disciplinam meam, et non pecuniam, „ doctrinam magis, quam aurum eligite. Me- „ lior est enim Sapientia cunctis pretiosissi- „ mis, et omne desiderabile ei non potest „ comparari. Ego Sapientia habito *in consilio* „ *&c.* " quæ sequuntur notissima sunt, et concludit sermonem: *In viis justitiæ ambulo . . . Ut ditem diligentes me, et thesauros eorum repleam*. Hæc præcedentibus adnexa si recte expenderis, videbis quod quantum creata distant a Deo, tantum distant a Deo illæ animæ quæ turpiter amant res creatas. Ergo quousque anima omnium creatarum rerum noxium amorem a se ableget, non erit omnino apta quæ Spiritum Dei in se recipiat. Habes hujus insignem figuram Exodi XVI. ubi tunc Manna filiis Israel pluit cum panis quem ex Ægypto detulerant, omnino defecit. Anima

 igi-

igitur rebus terrenis vacua implebitur et saturabitur hujusmodi cibo spirituali. Quod si alienum cibum velit cum hoc miscere, scilicet terrenæ rei appetitum fovere audeat, indignationem Domini in se provocabit, et justas tantæ perfidiæ pœnas dabit. Hoc vides in iisdem filiis Israel carnium esum concupiscentibus: *Adhuc erant escæ in ore eorum, et ira Dei ascendit super illos* = TYR = Me miserum! Me hæc petunt. Heu cur *mea noxia lumina feci*? Cur apposui cor meum rebus inanibus? O Domine *averte oculos meos ne videant vanitatem Psal.* 118.

METRUM XVII.

Quid vana tanto quæritis impetu
Ferme revulsi sedibus intimis
Turpes ocelli, quid decori
Vos trahit hoc rapido volatu?
Infame factum! Vos quibus optimus
Indulsit Auctor Cœlica persequi,
Gaudere & illis, vos caduca
Hæc studio petitis nefando?
Formosa tanquam, pulchraque pingitis
Quæ fæda multum, quæve miserrima;
Et nos in harum mox amores
Arte mala trahitis ruentes.

His inquinatos sordibus arbitrer
Vos posse sanctæ mœnia patriæ
Spectare, vultus civiumque
Sidereos propius videre?
Tanto perustas frigore sentiam
Imas medullas! Cor glacialibus
Torpens pruinis, & rigenti
Me similem patiar metallo?
Me nulla quamvis parva beantium
Incendiorum lumine prospero
Scintilla tanget? Num nivali
Frigidior Tanai jacebo?
Quæ sæva, quænam tristia perditum
Illum manebunt, qui sibi noxius
Non diligit quem diligendum
Sancta Fides, ratioque mandant!
Diris Averni discet ab ignibus
Jactura qualis sit dare sordidis
Cor ignibus; quod sit beatis
Exitium caruisse flammis.
O Rector Orbis turpia protinus
Fomenta fœdæ perde cupidinis,
Injurioso ne calore
Perpetuo miseri æstuemus.
Incende nostrum pectus amabili
Ardore, qualem prodigialiter
Sensit refusum tot piorum
Turba die memoranda in illa.

PROSA XVII.

JO = Porro si indignum prorsus est amori et desiderio Summi boni terrenæ alicujus rei amorem et desiderium jungere; quid rem terrenam Summo bono præferre? Quibus verbis fœditatem tantam exprimes, quas invenies pœnas quæ tantum nefas persequantur? = TYR = Horresco tantum facinus = JO = Præcludamus ergo vias in tale barathrum ducere aptas. Sunt hæ Appetitus nostri. Hos contineamus in officio per Abnegationem nostri si ad Perfectionis apicem pervenire velimus. Moysem jussit Deus *Exod.* 19. in verticem montis adscendere, sic tamen ut non solum solus relictis filiis Israel adscenderet, sed nec etiam jumenta ad montis illius conspectum accedere pateretur. Quid autem his jumentis nisi Appetitus nostri indicantur? Utinam et efficere possemus ut Appetitus ille nostri ne adspicerent quidem Perfectionis quem sumus adscensuri montem. Sed et Genes. 35. legimus quod cum vellet Jacob in monte Bethel altare Domino ædificare in quo sacrificium offerret, omnibus qui cum eo erant præcepit ut abjicerent Deos alienos, ut se purificarent, ut vestes mutarent. Edocemur hinc quod quisquis Perfectionis montem vult adscendere, hic in corde suo altare, ubi amoris

ris sacrificium immoletur, erigere debet, quod ut peragat necesse omnino est, ut *alienos Deos* scilicet desideria, amoresque creatarum rerum deponat; purificet se; pœnitentia salutari omnes maculas quas amores illi invexere eluendo, et tum vestes sibi mutari sentiet; quandoquidem ipse Deus veteres corruptas animæ intelligentias in novas convertet. In locum amoris et cupiditatis illius, qua in terrenas res ferebatur, novum eumque sanctum, et purum cœlestium amorem inseret, ut vetere in se extincto Adamo, in novum se translatum hominem suspiciat ille et gaudeat.



METRUM XVIII.

GAudia quanta putas homini contingere quando
Ereptus atris fluctibus
Se videt incolumem! Sibi tunc nasci ille videtur,
Primumque luce perfrui.
Uberiora manent hominem sed gaudia quando
A morte vera criminum
Hunc revocat Domini pietas, & robore dulcis
Enutrit illum gratiæ.
Tunc nasci hunc dices; tunc se primordia lucis
Haurire vere concinat.

PROSA XVIII.

TYR = Sentisne hæc quo tendant? Humana in divina vertentur? Hæccine tanta homo? Hæccine præcepisse Deum quæ nullo modo fieri posse videntur? Tu hominem homine exuis. Novum novi generis animal inducis, quod tu ipse nescies spiritibus ne an corporeis substantiis esset accensendum.

METRUM XIX.

NAso decus vatum qui tam feliciter unus
In nova mutatas cecinisti corpora formas,
Huic metamorphosim similem si forte dedisses,
Mæonium super heroa, & super ire Maronem
Jure tuum ingenium cuncti caneremus; at ista
Non tibi vis animi, quia fabula nulla licere
Credidit hoc tantum sibi, nec satis apta fuissent
Verba Arti quibus ornari potuisset honeste
Prodigium tantum quod nullum crederet ævum.

PRO-

PROSA XIX.

JO = Hæc quæ fieri non posse videntur, facilia, suavia, et amœna vis gratiæ efficiet. Accommodabit illa pedibus tuis alas, et volabis ut Columba; transgredieris murum, et ad summum montis verticem evades, modo ne te deseras, et magna conari paratus sis = TYR = Istud ago; saltem cupio, et exopto = JO = Instrue animum tuum instar altaris in quo Domino sacrificium offeras. Memineris tamen præcepisse Dominum *Exod.* 27. ut altare super quo sibi immolandum edixerat, esset intrinsecus vacuum. Proprius, et non alienus ignis in eo perpetuo asservaretur. An putas mysterio ista vacare? Quid intrinseca illa altaris vacuitas, nisi terrenorum omnium vacuum appetitum indicat? Quid proprius ignis, nisi divini amoris puram flammam? An oblitus es, quod paulo ante commemoravi, improvisa morte percussos *Levit.* 20. Aaronis filios Nadab et Abiud, quia proprio igni ausi sunt alienum miscere? Quid hoc nisi flammam omnem quæ ex puro non egrediatur amore longe ab hoc altari eliminandam? TYR = Vacuum omnibus hujus terræ deliciis et bonis animum! O maxime duram sententiam! Nunquam vidi concertationem iniquius comparatam.

Perdifficilis, dura, et sæva est virtus; implacabiles gerit cum voluptate inimicitias. Hæc incredibiliter allicit, suavissime attrahit. Ecquis obsistet?

METRUM XX.

TYR =

DIc mihi cur pugnat sic cum virtute voluptas?
Si bellis aliquis denique finis erit?
Hæc negat, illa inquit; vult hæc, ast illa recusat;
Diversasque ineunt dissociata vias.
Hæc stat si illa cadit; cadit hæc sed si illa resurgit,
Nec possunt uno vivere juncta loco.
Illa quidem pugnant; incerta est alea; sed nos
Vincimur, & certis tradimur inde malis.

JO =

NOn pugnat; fida est virtutis amica voluptas;
Dulcia concordes fœdera pacis habent.
Consilium tenet unum ambas, eademque voluntas;
Ambas una domus jungit, & unus amor.
Hoc habet ingenium sincera, & justa voluptas,
Quam nobis clemens indidit ipse Deus.
At fœda, & falso quæ est eodem nomine dicta
Diversos mores, ingeniumqae tenet.

PRO-

PROSA XX.

AD veram voluptatem te duco. Justus et planus ab illa vacuitate ad hanc gradus. Etenim illa vacuitas omnium affluentiam gaudiorum importat; voluptate tanta perfundit qua major excogitari nequeat. Hæc discumbere facit in mensa Patris cœlestis; filiorum cibo recreat; famem extinguit; satietatem inducit. Splendida in Evangelio mentio est panis filiorum quem non esse projiciendum canibus Christus dixit. At quinam hi canes sunt? Scilicet qui appetitus suos volunt creatis rebus alere. Quid enim sunt omnia creata bona, nisi micæ de mensa illa cadentes? Hæ tamen non satiant, imo famem acuunt; et id innuit Psalmus dicens: *Famem patientur ut canes, et circuibunt civitatem. Si vero non fuerint saturati murmurabunt* = TYR =. Satis exploratum est, et usus ipse liquido demonstrat quod substantia hujus Mundi non satiat.

ME-

METRUM XXI.

Non satiat damnati hujus substantia Mundi,
Sed magis exacuit perfida facta famem.
Deciperis quicumque putas gaudere repertis,
Deliciis Terræ, vel bona vera sequi.
Arentes fauces; jejunaque membra relinquent.
Infelix miseris destituere modis.

PROSA XXI.

JO = Sed et Appetitus qui in eam feruntur immane quantum Animæ incommodant. Eam in primis mirifice defatigant, defessam susque deque agunt, nec tamen eo quo vult sinunt illam pervenire; nec mirum, haurire enim aquam ex cisternis dissipatis nititur illa; jure ergo in se experitur illud Isaiæ: *Lassus adhuc sitit, et anima ejus vacua est*. Urgent siquidem post tot exantlatos labores eadem sitis et fames miserum hominem; hunc similem dices ægroto ardentibus febribus æstuanti, qui nisi febribus recedentibus nunquam bene habebit; quem cibus, potusque magis gravant, et torquent; de quo Job: *cum satiatus fuerit arcta-*

bi-

bitur, æstuabit, et omnis dolor irruet super eum. Cogita si requiem sic positus invenire possit, si pacem possit ille sperare. *Cor impii sicut mare fervens quod quiescere non potest* Isai. 57. Et quo magis voluptatibus illis inhiat, easque persequitur, eo acriori urgetur fame; quandoquidem nihil exinde recepit; similis famelico illi qui ut comedat os aperit, at cibo frustratus, ventumque recipiens, magis arescit, sævioremque reddit famem. Et de hoc loquitur Jeremias Cap. 2. *In desiderio Animæ suæ attraxit ventum amoris sui.* Et paulo infra significare volens ariditatem in qua hujusmodi anima tabescit, eam sic admonet; *Prohibe pedem tuum a nuditate, et guttur tuum a siti.* Retrahat scilicet Appetitum suum a sæculi illecebris.

METRUM XXII.

ERidani prope stagna jaces data præda dolori
Noctes diesque Tantale.
Te sitis urit atrox, divexat & ardor edendi;
Nec accipis quod expetis.
Lympha rigat vultus misere sitientis & ora,
Collumque lambens abluit.
Stant epulæ circum instructæ prædivite luxu,
Famemque vexant acrius.

Non

Non datur at gustare epulas, non dulciter undas
Arente fauce sumere.
Lympha fugit, fugiunt epulæ si tangere morsu
Has ille fervens nititur.
Dum vocat ore undas, inclusis dentibus atrum
Deceptus haurit pulverem;
Alligat atque famem stomacho, fugientia captat
Dum visa vanus munera.
Deliciosi hominis viva hic apparet imago;
Qualis sit ille hic cernitur.

PROSA XXII.

TYR = Optima præceptio; ea mihi perplacet = JO = Gaudeo te sic comparatum esse. Facilis hinc ad altiorem, quam Deo volente monstrabo, semitam adscensus.



LI-

LIBER II.

Quid memorata importet Abnegatio, & cujusmodi esse debeat.

PROSA I.

JO = Evangelicæ Abnegationis de qua sermonem instituere cœpimus latissima provincia est, immensumque imperium. Ea quicquid carni & sanguini placiturum irrepit, exhorret constanter, avertit & longe arcet & fugat, naturamque nostram ex primæva labe in terrenorum amorem pronam sic corrigendam, reformandamque suscipit, ut non videatur illa infelici per Adam ad nos successione transmissa, sed cœlitus delapsa; tantus eam caducarum rerum contemptus incessit, tantus divinorum ardor inflammat. Et quid aliud agimus cum a voluptate h. e. corpore, cum a re familiari quæ est ministra & famula corporis, cum ab omni negotio animum sevocamus, quid inquam tunc agimus nisi animum ad seipsum advocamus, secum esse cogimus, maximeque a corpore abducimus? Secernere autem a corpore animum nec quidquam aliud est, nisi eum ad cœlestia transferre. Hoc & dum erimus in terris erit illi cœlesti vitæ simile, &

cum

cum illuc ex his vinculis emittendi fuerimus minus tardabitur cursus animorum, & horribilem illum diem aliis, nobis faustum putabimus. Hinc cum denunciatum fuerit ut exeamus e vita, læti & agentes gratias parebimus, emittique nos e custodia, & levari vinculis arbitrabimur ut in æternam, & plane nostram domum remigremus. Enitendum ergo nobis omnino est, si beati esse volumus, ut Abnegationem illam tota quanta est assequamur. Paratum te volo. Solida virtute animum ne evagetur confirma. In mare magnum & spatiosum te demitto.

METRUM I.

QUæ navis etsi robore nobilis
Se tuta possit credere fluctibus,
Hujus gravetur ni carina
Ante sua stabili saburra?
Non illa certo tramite curreret;
Non contineret se stabili gradu;
Confunderet summas & imas
Ipsa sinu fluitante merces.
Hinc sume leges, hinc documentaque
Quisquis tuorum, si sapis, actuum;
Virtute firmanda est tenaci
Ingenii levitas volucris.

Natura semper mobilis omnibus
Urgetur auris, quærit & appetit
Quod mox ut ingratum, & molestum
Oderit, eximium bonumque.
Virtutis istam vincla salubria
Frænent, et apto pondere deprimant;
Elata ne rectum petitum
Abjiciat, repetatque pravum.

PROSA II.

TYR = Quorsum hæc evadent? = JO = Quod Appetitibus bellum paulo ante indiximus, acerrime bellandum est. His ne respirare quidem demus, ne sociis armis junctis incautos nos perdant = TYR = Vereor ab ingenita naturæ imbecillitate. Hanc antequam ad ulteriora progrediaris velim expendas = JO = Ægrota est fateor. At quia ægrota est medicinam renuet? Imo hoc ipso quod infirma est, eo magis enitatur ut convalescat. Etenim dum appetitui suo indulget, non morbum depellit sed auget, & perinde se habet ac si flammam extinguere volens alia igni fomenta subjiciat. Hinc quo magis illa via se reficere contendet, eo magis seipsa pessumdabit. Et de hoc accipiendus Isaias Cap. IX. dicens: ***Declinabit ad dexteram & esuriet; & comedet ad sinistram, & non saturabitur.*** Scilicet est id il-

le-

lecebrarum hujus sæculi ut famem acuant, non expleant = TYR = Hoc satis perspectum = JO = Est & gravius exinde emergens detrimentum. Animam & pungunt, & lacerant, & multiplici injecto fune captivam sibi reddunt, ut jure exclamarit David: *Funes peccatorum circumplexi sunt me*. Et sicut qui in spinis incubat nec somnum capiet, nec se servabit illæsum; & qui ab irritatis Apium agminibus obsidetur, aculeorum ingeminatos patitur ictus; sic qui in illis Appetitibus nititur conquiescere, voluptati bellum indicat necesse est. Hinc idem David: *Circumdederunt me sicut apes*.

METRUM II.

Quævis voluptas sentibus,
Rhamnis acutis, carduis
Ubique surgit horrida,
Suosque pungit asseclas.
Pendere cernis ilice
Si mellis amplum roscidi
Favum, phalangem respice
Apum liquoris vindicem.
Dolore magno pauculum
Stabit saporis, vulnera
Nam plura tristes exigent
Pœnas patrati furtuli.

Sti-

Stimulis voluptas quælibet
Agit fruentes acribus,
Apiumque par sed ictibus.
Vexata linquit pectora.

PROSA III.

DIfficile dictu est quam sævum sæ præstet Concupiscentia tortorem. Crudelissime sub illa affectione laceratur animus. Impense exoptabat scire Dalila ubi vires tantas haberet Sampson repostas, & sic ejusmodi excruciabatur desiderio ut parum abesset quin interiret: *Defecit Anima ejus, & ad mortem usque lassata est* Judic. 16. = TYR = Pro comperto habeo quod quo major, & vividior est Appetitus, major inde cruciatus exoritur = Jo = Ipsa ratio te dubitare non sinit. Hæc fortem animum in rerum externarum despicientia agnoscendum edocet; vetat illum perturbationi succumbere; ea quæ eximia plerisque & præclara videntur, vult parva ducenda, ea quæ stabili firmaque ratione contemnenda, & ea quæ acerba videntur ita ferre ut nihil a statu naturæ, nihil a dignitate & constantia robusti animi discedas. Non est autem consentaneum qui metu non frangatur, eum frangi cupiditate, nec qui invictum se a labore præstiterit, vinci a voluptate. Immane quantum in hoc

D pec-

peccaverit idem Sampson. Notissima est de illo historia Sacris literis consignata. Vides ex eo inimicos hominis esse appetitus; vides quod quo fortior hostis, eo crudelius sæviat. Ecce hic pleni sui juris judex in Israel cum in Philisthæorum incidisset manus, & libertate spoliatus est, & luminibus orbatus, & veluti jumentum molæ addictus. Hoc ipsum accidit animæ quæ suis se regendam Appetitibus tradit = TYR = Gravissima cæcitatis pœna = JO = Hanc invehunt Appetitus illi de quibus loquimur. Idipsum cernis in Saule. In quod barathrum eum pecuniæ cupiditas impulit! Montes Gelboe testes luculentissimi. In tenui iste fortuna, modico contentus probatissima virtute spectabilis erat. At ad solium evectus, spoliorum & pinguis prædæ cupiditate incensus, dum appetitum divitiarum non subigit, miserrime subactus est ipse. Noverat quidem ipse nihil esse tam angusti animi, tamque parvi quam amare divitias; nihil honestius magnificentiusque quam pecuniam contemnere si non habeas; si habeas ad beneficentiam liberalitatemque conferre, hanc tamen veritatem Appetitus extinxit, & excæcatum illum reddidit. In hanc sententiam ait David Psal. 39. *Comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui ut viderem* =TYR= Prona exinde in voluntatem calamitas. Obscurato enim intellectu, languet & hebes fit voluntas = JO = Ita prorsus; hinc ait Psal. 9. David: *Anima mea turbata est valde*. Cum enim ex intellectu voluntas & memoria pendeant,

deant, pessumdato illo, certa quoque his imminet ruina.

METRUM III.

SI jacet atra intellectus caligine mersus,
Nec quæ sunt ipsi conspicienda videt,
Nulla salus speranda viro; patet ampla ruina;
Hostibus infelix, apta rapina cadet.

PROSA IV.

MIris obductus tenebris intellectus impar est divinis illustrationibus recipiendis. Caret voluntas expedita & prompta illa vi quæ omnino requiritur ad Deum puro amore amplectendum, & in se recipiendum; nec memoriæ relinquitur vis illa ut serenitate ea quæ necessaria est, imaginem Dei sibi exhibeat. Sicuti nec Solem crassis nubibus aër gravatus, nec speculum sordibus, & squalore obsitum, vultum ejus qui in eo se vult contemplari, nec turbidus decurrens rivulus fundum suum, in eoque jacentes lapillos revelabit = TYR = O quo pertrahis? Me ne ad tanta assurgere?

METRUM IV.

TYR = Hem! si corpus aheneum
Nunc, essetque mihi cor adamantinum
His sub frangerer ictibus,
Ac irem liquidum pulvis in aëra.
JO = Si te præstiteris virum,
Hæc quæ nunc pavidus fortia judicas,
Dices languida, et omnium
Scriberis domitor maximus hostium.
TYR = Istud credere desine;
Pressus namque gravì pondere Spiritus
Æger deficiet cito.
Captivus veniet jura sub hostium.
JO = Erras. Spiritus impetu
Se nam magnanimo desuper efferens,
Liber corpore ad ardua
Affectabit ovans sidera semitam.
TYR = Arcto fœdere Corpori
Junctus perpetuo Spiritus, illius
Fatum subsequitur; simul
Et stant atque cadunt. Sors eadem tenet.
JO = Quæ divortia jamdiu
Hæc inter dederit crimen originis
Solus sis quasi nescius,
Ut quæras avidus pristina fœdera.
TYR = Rupto fœdere viribus
Pugnat prævalidis sed Caro fortior;

Et

Et tunc quomodo Spiritus
Stabit? mœsta neci victima concidet.
JO = Stabit, robore muniens
Semper se Fidei. Præmia sæculis
Cunctis maxima sedulò
Mansura hic reputet; Vicerit inclytè.

PROSA V.

JO = Languorem tantum, imbecillitatemque quam flebiliter causaris, non mediocriter vereor ne in te terrenorum adhuc amor importet. Hunc nisi penitus disjicias, impar omnino eris maximæ ad quam te duco veritati. Sed dictis quoque nonnihil commoveberis. O te excita; te continentem, & voluptatibus quas hactenus insectati sumus implacabilem te exhibe. Quid interest inter hominem incontinentem, & belluam? Quicumque ea quæ optima non sint cogitat, voluptuosa vero omnibus quærit modis exequi, quid a pecudibus differt? Solis continentibus licet ea cogitare quæ optima sunt. Sed & ratio monet ut voluptatem fugiamus si ea majorem dolorem effectura sit, & dolorem suscipiamus majorem efficientem voluptatem, omniaque, jucunda quamquam sensu corporis judicentur, ad animum referamus. In corpore si quod ejusmodi est quod reliquo corpori noceat, uri secarique patimur, ut mem-

brum aliquod potius quam totum corpus intereat; & adeo in nostros appetitus erimus clementes ut his cum animæ pernicie velimus consultum? Non resecabimus? Non procul abjiciemus? His modo non sit penitus corrupta natura ipsa hostem se exhibet acerrimum. Parvo illa est contenta. Memorant Darium in fuga cum aquam turbidam, & cadaveribus inquinatam bibisset, negasse unquam se bibisse jucundius. Nunquam videlicet sitiens biberat. Nec esuriens Ptolomæus ederat: cui cum peragranti Ægyptum, comitibus non consecutis, cibarius in casa panis datus esset, nihil visum est illo pane jucundius = TYR = Hæc quo tendant video, demirorque homines quasi cultores terræ constitutos, non pati eam nec immanitate ferarum, nec stirpium asperitate vastari; eorum operibus agros, insulas, litoraque cernimus collucere, distincta tectis & urbibus; eosdem inde adeo segnes in purgando ab appetitibus animo; hunc non speciosam vineam, sed dumis sentibusque horrentem silvam succrescentem pati. Durus labor illa peregit; hoc nulla attentavit industria = JO = Utinam hæc menti tuæ altius infigerentur.



ME-

METRUM V.

Magnus laboris fructus! Hic inclytas
Extruxit urbes turribus, arvaque
Horrenda saxis hic situque
In nitidum retulit novale.
Mutata cursus flumina pristinos
Frustra requirunt; signaque conspicit
Spirantia ex se marmor, hortis
Ædibus & decus inferenda.
Cernis quot artes, quot monumentaque
Orbem decorent. Ista quis edidit?
Unius ardentis laboris
Vis patiens operosa fecit.
Labore dempto cuncta miserrime
Jacere cernes funere perdita;
Et firma quamvis sint, recumbent
Assidue nisi fulciantur.
Ast quæ phrenesis viribus omnibus
Curare solum quæ exterius juvant,
Et intimum quæcumque possint
Mox hominem in melius referre
Hæc nolle prorsus, linquere, spernere;
Incuriosos seque per omnia
Præstare segnes in quod unum
Omnibus est studiis petendum?
Huc omne robur, sollicitudinum
Hic contrahatur turba strepentium,

Et appetitus perfurentes
Pelle ferox, penitusque perde,

PROSA VI.

QUanta ex illis quas memoravi tenebris in animam pernicies! Non opus hic verbis. Unum adspice Salomonem. Potes ne huic similem mente concipere? Divitiæ, sapientia, imperii felicitas, & quænam in uno illo coacervata non congruerunt bona! Quo tamen eum perduxere appetitus! Calamitatem tantam quis ignorat? = TYR = Male profecto homini comparatum. Offusæ ex Originaria culpa densæ & satis crassæ intellectui nostro tenebræ. De Ninivitis ait Dominus ad Jonam: *Nesciunt quid sit inter dexteram & sinistram suam*. Hujusmodi cum simus, jam quid erimus si insitis tenebris istis accedat Appetitus? Quanta tunc clades! = JO = Appetitibus indulgentes, erimus de illis qui apud Isaiam dicebant: *Palpavimus sicut cæci parietem, & quasi absque oculis attrectavimus meridie quasi in tenebris* = TYR = Avertat Deus.



ME.

METRUM VI.

Quid cæcitate pejus
Tortore sub cruento
Poterit timere noxæ
Vir traditus scelestus?
Ecquis furens malorum
Inferre turbo tantum
Valeat? Tyrannus ecquis
Excogitabit isto
Crudelius flagellum?
Lucis misellus expers
Quo gaudio jacentem
Animum eriget? Nigrante
Hac orbitate pressus
Jucunda quæque spernet,
Et sentiet molesta.
Hunc sola vis acerbi
Mœroris occupabit,
Et cogitationes
Omnes ligabit uno
Vinclo doloris arcto.

PRO-

PROSA VII.

JO = Neque hic malorum finis. Anima his fœdata appetitibus, ad rationem vanitatis eorum, varia conflictatur scelerum colluvione. Pulcherrimam hujus veritatis figuram habemus Ezechiel: Cap. 8. ubi Dominus ostendit Prophetæ abominationes pessimas Judæorum in Templo, & idololatrias sub variis figuris. Lege totum illud Cap. & adverte quod omnis similitudo vers. 9.: *Reptilium & Animalium quæ depicta erant in pariete in circuitu per totum*; indicat cogitationes & conceptus, quos format intellectus omnium vilium rerum hujus sæculi, qui pessumdant, & inquinant primum animæ cubiculum, quod est intellectus. Mulieres quæ interius vers. 14. *sedebant plangentes Adonidem*, enunciant Appetitus, qui consistunt in secunda animæ potentia, quæ est Voluntas. Lugent hi quia exoptant, & quærunt indigna illa quorum amore flagrat voluntas. Tandem seniores illi qui erant in tertio cubiculo Templi, *dorsa habentes contra* Templum Domini vers. 16. sunt imagines, ac figuræ fœditatum illarum, & turpitudinum quæ tertia animæ potentia, scilicet Memoria in se versat, & servat. Habent illi dorsum contra Templum, scilicet quia dum anima appetitus il-

illos fovet, res creatas contra Deum amore persequitur, jam se a recta ratione quæ Dei Templum est, avertit = TYR = Ut video quid vigoris ad virtutem in anima sic affecta requiremus? = JO = Dic homini illi quod filio suo Ruben ait Jacob: *Effusus es sicut aqua ne crescas*. Etenim sicut aqua nullo coercente limite ad ima decurrit, nec sursum attollitur alicui usui futura, sic & anima Appetitibus illis tradita effunditur in aliena a Deo, & sordida, nec robur suum altioribus, & Deo dignis reservat curis, quandoquidem jam vigorem suum divisit, & imbecillis satis, & languida jam facta est = TYR =

METRUM VII.

CRescit robur in hostibus.
Hi majoribus irruunt
In me viribus undique;
Ac ille exiguus vigor
Spei præsidium meæ
Uno tempore deficit;
Diris ergo furoribus
Tristis victima concidam.

PRO-

PROSA VIII.

JO = Ne animo concidas. Tantum adverte animæ unam esse voluntatem. Hanc si illa in turpis alicujus rei amore defixerit, jam sui jura perdidit, non est jam sui domina. Teterrimos perpetuo patietur hostes. Huc revoca quod in libro Judic. Cap. 2. habetur. Ibi sic Angelus Domini filios Israel alloquitur: *Eduxi vos de Ægypto, & introduxi in terram . . . . Ita dumtaxat ut non feriretis fœdus cum habitatoribus terræ hujus, sed aras eorum subverteretis, & noluistis audire vocem meam. Cur hoc fecistis? Quam ob rem nolui delere eos a facie vestra, ut habeatis hostes, & Dii eorum sint vobis in ruinam* = TYR = Horrendam fateor, justitiæ tamen plenissimam pœnam, & video quo res vergat = JO = Profecto: *Vigilavit jugum iniquitatum nostrarum; lubricaverunt vestigia nostra in itinere platearum nostrarum* Thren. 4. *Repulsa est a pace anima mea; oblitus sum bonorum* Thren. 3. Dum enim proprio amore in præceps acti, appetitibus nostris indulsimus, & pacem amisimus, & a semita deerrantes ambulavimus in circuitu, ingenti ruina prostrati, & jam de nobis conclamatum esset, nisi dives in misericordia Dominus patienter nos substinuisset, pœ-

pœnitentiæ tempora concedens = TYR = Agnovi quam largiter in me penitus immerentem se divina effuderit clementia ; agnosco & quo consilio patria me nunc virga corripit. Hinc juvat orare.

METRUM VIII.

NE me pejorem Domini clementia reddat ;
Et quæ medela desuper
Advenit in rigidum vertam, tumidumque venenum,
Patremque ad iram provocem.
Ille quidem errantem semper miseratus, amico
Si nunc flagello me terit,
Vult mihi prospiciam tandem, certumque salutis
Iter capessam sedulo.
Ast non advertam? Non expergiscar ab isto
Alto sopore perfidus?
Maxima quin veluti hic res non mea prorsus agatur,
Deses morabor, otio
Totus in indigno? Sic infeliciter omnes
Dies inertes exigam?

PRO-

PROSA IX.

JO = Egregie. Hoc non semel, sed iterum iterumque tota animi contentione, toto cordis impetu orabis, & perages ne divina unquam te clementia contingat abuti. O Domine quanta in terris grassatur iniquitas! Tu dives in misericordia dissimulas peccata hominum, & longanimitate admirabili patienter expectas ut illi ad cor redeant. At in dies accessio iniquitati fit, & peccata peccatis mensura conferta cumulantur. O quisquis es duro hujusmodi corde te compello.

METRUM IX.

Forsan extremum monitum salutis
Est quod immittit Dominus, piusque
Interim mortis jaculum retardat,
Lentus in ira
Quis scit an mitis patietur ultra
Te per immundas scelerum lacunas
Ire gaudentem, quasi nullus esset
Desuper ultor?

Lon-

Longa tu peccans tibi polliceris
Sed tamen vitæ spatia impudicæ;
Spernis, & durus pietatis hujus
Munera mira.

Cogitas nunquam fore te vocandum
Ante Supremi rigidum tribunal
Judicis, justas scelerum daturum
Perfide pœnas.

Clamet, haud audis, veneranda legis
Sanctio; noscis mala quæ minatur
Impiis vindex Dominus, nihilque
Tale vereris.

At prope est tempus; veniet repente
Heu dies multum metuenda pravis,
Cum dabit judex documenta justi
Ampla furoris.

Ecquis æternas tolerare flammas
Dæmonas inter poterit; quis ictus
Vermis illius sine fine pectus
Rodere nati?

Nullus auroræ radius nigrantes
Noctis æternæ tenebras resolvet.
Nulla tortorum pietas; flagellis
Finis ademptus.

PRO-

PROSA X.

VErum, te nunc specto mi Tyro. Ad te meus sermo. Probe assecutus es, arbitror, quam late pateat Abnegatio illa, cujus ergo tota hæc est disputatio suscepta = TYR = Etiam = JO = Memineris quoque filiis Israel Promissionis terram ingressuris præcepisse Dominum, ut quicquid in Jericunthina Urbe inveniretur penitus delerent, nullus omnino prædæ locus esset. Hoc autem quid indicabat nisi ut qui ad divinos adspirant amplexus, nihil omnino de terrenarum substantia rerum in suis desideriis immorari patiantur. Appetitibus renuncient; nudum & vacuum omnium spiritum afferant ad Dominum. Sed quid figuras inquirimus? Audiamus Apostolum dilucidis verbis præcipientem 1. Cor. 6.: *Hoc itaque dico fratres: Tempus breve est. Reliquum est ut qui habent uxores tamquam non habentes sint, & qui flent tamquam non flentes, & qui emunt tamquam non possidentes, & qui utuntur hoc Mundo tamquam non utantur* = TYR = Vera nimis hæc. Sed oh ubi gladius ille qui inter me, et me dividat?

ME-

METRUM X.

O Ubi magnanimo in somnis oblatus Judæ
Aureus insigni capulo spectabilis ensis!
Forsitan ille meos posset discindere nexus,
Et totum me a me sejungere tramite certo,
Talis ut esse queam qualem me poscis Amice.
Vulcani fabricata manu licet arma Poësis
Garrula commendet, celebrisque feratur Achillis
Hasta; sui gladium Æneæ Maro tollat ad astra.
Fabula nulla cecinit gladium cui tanta potestas
Ponere in uno eodemque homine hæc divortia mira.

PROSA XI.

JO = Unde tibi tam dira phrenesis? Ludisne? Obvium, imo ad manum habes gladium qui suavissimo ictu non te a te dividat, sed te tibi reddat; ferocissimos hostes qui jam in arcem animæ tuæ invadere nituntur late cædat, & fuget; pacem, incolumitatem, quietem, suavitatem plenissimam tibi faciat. Gladius ille Crux Christi est.

METRUM XI.

QUem votis tantis quæris fortissimus ensis,
In te qui valeat divortia tanta locare
Obvius ecce tibi prope Crux *pulcherrima* Christi
Non oblata tibi in somnis; non tecta figura,
Luce sua rutilans, sed vera; Hæc maximus ille
Divinusque tibi Gladius, cape, mira videbis;
A te divisum te hac cernes; tuta salutis
Semita, parta quies hac, namque est lectus & illa;
A te divisus, placidos hic carpe sopores;
Nam tua si lecto super isto membra repones,
Felici æternum claudes tua lumina somno.

PROSA XII.

SIc habe suavissime Tyro. Si in illam Crucem oculos, animumque ut par est intendes, statim mirifice recreatus tantum repente odium fastidiumque concipies eorum, quæ apud cæcum Mundum prima putantur, et præsertim quæ cum inhonesta voluptate conjuncta sunt, ut omnes rerum illarum, quamvis diuturno usu, ac vetustate corroboratas imagines ex tua memoria confestim adspectus ille detergat= TYR =

Hoc

Hoc ad ravim usque mihi ingeminavit ignoti nominis obscurus Scriptor quibusdam libellis, quorum inscriptiones sunt: CONSOLATIO THEOLOGICA; PERVIGILIUM CORDIS; CLYPEUS ADVERSUS MORTIS TERRORES; ITER ÆTERNITATIS; GOLGOTHA; AMOR POENITENS; DE MUNDI CONTEMPTU. Fusissimus in his de Christi Cruce sermo, tum quantum cunctis necesse sit Christum Crucifixum induere = JO = Novi hominem mihi in amicitiis jamdudum familiariter junctum; doleo ingenti calamitate prostratum non eam afferre potuisse sollertiam quam tanti argumenti dignitas postulabat. Sed argumentum ipsum loquitur; monitore non indiget. Omnium bonorum fons CRUX CHRISTI. Ipsa est quæ nos nobis reddit: Per eam inundationes maris ut mel sugimus; in caducarum terræ rerum justum fastidium adducimur, turpes horremus voluptates, et intimæ, qua nihil felicius in hac lacrymarum valle, jucundissimæ pacis sede collocamur. O vere beatum illum qui cum Apostolo dicere potest: *Mihi absit gloriari nisi in Cruce Domini mei Jesu Christi per quem mihi Mundus crucifixus est, & ego Mundo.* Cadunt quotquot in hunc irrito conatu jacit Mundus sagittæ. Plumbeo pugione pugnant tunc sæculi pompæ. Friget, et miro labat languore concupiscentia. Quod exinde ad patientiam robur! Quanta Christianæ humilitati fulcra! Quænam ad caritatem excitandam paratæ faces! An cœli et terra dignius homine sic comparato spectaculum adspicient? Ecquid ob-

cutibus suis quod sit æque suave, ac dignum, Angeli Dei in hac misera rerum universitate nanciscentur?

METRUM XII.

Hoc deputabo gaudium
Sublime, verum, nobile,
Dignumque votis omnibus,
Si quo cruento stipite
Summi Parentis Filius
Mortem libenter pertulit,
Confixus ipse sensibus
Meisque cunctis perpetim
Potentiis, & actibus
Vitæ per hujus tempora
Maneam, nec ultra quidpiam
Stultus requiram. Gloria
Si sola sit sic denique
Mea membra morti tradere.



PRO-

PROSA XIII.

TYR = Ita prorsus. Neque hæc rei dignitatem exæquant. Impar omne deprehenditur elogium = JO = Videbis ipse quis locus amori proprio esse queat ubi Crux Christi regnat. Ergo si ab omni parte tutus esse cupis, si ad ipsum perfectionis apicem exoptas ascendere, sit Christus Dominus unica mentis tuæ occupatio. O ubi tanta cordis amplitudo, ubi tanta ingenii subtilissima acies, quæ effluentem ex his tuis vulneribus o Domine Crucifixe tui in me amoris et benignitatis copiam capere queat; quæ tantum misericordiæ prodigium aliqua minima ex parte assequi possit? Hæc tibi vulnera pessimi illi inferebant, ut per ea Sanguis dilaberetur & vita, tu ea æquo animo accipiebas, ut per illa tuum in me proderes amorem. Ex hoc tot vulneribus confosso corpore, tamquam ex totidem patentibus fenestris tralucentem flammam Caritatis, quæ intus ardet, adspicio. Jam intelligo quid sibi voluerit Isaias clamans: *Propter Sion non tacebo ... donec egrediatur ut splendor justus ejus, & Salvator ejus ut lampas accendatur*. O Dòmine tu lampas illa pro me accensa. Huc respiciebat in Sacro Epitalamio Dilecta canens: *Lampades ejus lampades ignis atque flammarum*. Sicut

in lampade ellychnium oleo affuso incensum flammam nutrit, & lumen præstat, Tu Domine, cujus nomen est *oleum effusum*, qui *caritas* es, qui venisti *ignem mittere* innumeras ex hac Cruce splendoris & ardoris sagittas jacularis, ut ex illis lumen intellectui affulgeat, amor in corde accendatur. Quodnam glacie concretum pectus, quæ duritie sua impenetrabilia saxea corda hic in ardoris favillas non abibunt, hic in fontes aquarum salutaris pœnitentiæ non dissolventur? O Domine si qui esurientem inimicum suum cibo reficit, vel siti æstuantem frigida recreat *congerit super caput ejus prunas* Prov. 25. Epist. ad Rom. 12. h. e. flammas in eo amoris excitat, et ille inimicus de quo is benemeritus est, odium in amorem vertit, & in eum in quem livore exarserat vivido flagrat amore. Tanta est in benefacto vis. Nonne tu ex hac Cruce in Caput nostrum jam proscriptum, & æternæ pesti devotum carbones flammis incensissimis armatos congeris, quibus asperrima quæque rigentia liquarentur metalla? Hoccine fieri potuit? Te ne Regem gloriæ, altissimum Dominum dominantium, Filium Dei Unigenitum ad hæc nostri ergo te demittere? Si Pater Æternus significasset nobis nulla alia ratione consultum perditis rebus nostris iri posse, nisi tanta Filii sui demissione, ecquis nostrum hoc poscere ausus esset? Et tamen nobis nec poscentibus, nec cogitantibus quidem id factum, & tantus Dominus obtulit semetipse, volensque immola-

latus est pro nobis, et *pertulit peccata nostra in ligno, et ejus nos livore sanati sumus.* Horrendum ingrati animi nostri, quod ille prævidebat futurum crimen, tot præsentium in eum maledicta, tot contumeliæ, et probra, & cunctæ illæ omnibus retro sæculis non auditæ immanium exacerbationes pœnarum ab incepto non revocarunt? Imo majores caritati illi accessiones præbueré. *Aquæ multæ non potuerunt extinguere caritatem* = TYR = Commotus sum, inardescit animus. Te Domine non amem? In Crucem tuam toto corde non avolem? Non hauriam aquas in gaudio de his fontibus Salvatoris?

METRUM XIII.

CErvus arenti calefactus æstu
Quærit ut puros latices, citusque
Fontis illimi vitreus perennat
Qua vagus humor,
Currit oblitus trepidi laboris,
Seque demittit properanter undis,
Et lavat vulnus, sitis ac molestæ
Damna repellit.
Sic meum flammis penitus perustum
Cor sitit, quærit, cupit atque fontem
Qui potest ipsum relevare cunctis
Undique damnis.

Ille fons solus Dominus; beato
Est in illius gremio bonorum
Omnium felix locuplesque semper
Copia regnans.
Saeculi faedas fugio lacunas,
Et lacus tristes, mala quos voluptas
Excitat, sperno, veniunt repente
Inde venena.
Non sitim tollunt; miseros labores
Ac egestatem pariunt furentes;
Qui bibit, mortem bibit, & tremendum
Ibit in Orcum.
Quas Pater clemens aperis perennes
In Crucis ligno scatebras amoris
Fac bibam laetus; capiam beatae
Pocula vitae.

PROSA XIV.

JO = Non totus in flammas abibis? Ad tantum ignitabulum applicatus non imis flagrabis ardore medullis? = TYR = Dilexisti me Domine. Te non diligam ego? = JO = En quantivis pretii *Pharetram* illam amoris, Crucem Domini. Quot ex illa salutis emittuntur sagittae! Harum si vel una cor tuum pervadat, quis te beatior? Securus clamabis: *Sagitta salutis Domini* (Reg. 4. Cap. 13.) & *Sagitta Salutis contra Syriam*. Quid Syria nisi terra ido-

idololatria polluta? Unus in ea turpium voluptatum amor; nulla futurorum sollicitudo. Hanc contra Sagitta feratur. *Sagitta salutis Domini* = TYR = Teneo.Stat sententia = JO = Utique Christum Crucifixum tibi perfectissimum exemplar præfige. Tuam vitam ad illius revoca vitam. Et quoniam ipse Dominus id in primis voluit ut faceret voluntatem Patris sui, quam et *cibum suum* vocabat, id et tibi in primis propositum sit ut te ipse abneges; nihil eorum quæ caro et sanguis suggerunt suscipias; his fortis per omnia obsiste. Cogita dignitatem tuam. Expende ad quam sortem vocaris. Ne jumentis assimileris, eorumque qui spem non habent vestigiis insistas. Non ad caduca & inania terræ illicia, & blandimenta, sed ad vera cœlestia gaudia vocaris. Hæc si qui Christo nomen dederunt, vel leviter attenderent, nulla Christianam rempublicam perturbatio jactaret. Omnia ad honestatis, justitiæque normam pulcherrime exigerentur. Sed o miserrimam rerum vicem!

METRUM XIV.

QUæ segnes tenuere moræ! Quæ tanta veterni
Frigida vis nocuo infecit torpore medullas!
Siccine gens vigilas Christi de nomine dicta?
Otia longa placent; nulla est patientia sede;

De-

Delicias sectaris; hians agit ardor habendi;
Nec meminisse libet quæ sint post ista futura,
Æternosque annos, & prima luce carentes
Perpetuas noctes, o rerum oblita tuarum?
Scilicet hoc fecit tuus, edocuitque Magister?
Hæc præcepta dedit quando feralia ligni
Pondera sustinuit, cum tot cruciatibus actus
Languidus in Cruce demittens caput expiravit?
Militiam agnoscis? Noscis quæ tessera bello
Signum eat; armato volitent quo milite circum
Exitium qui sponte tuum, mortemque requirunt?
I pede lascivo, florentia prata revise;
Otia cara fove, somno vinoque sepultus;
Non abrupta tibi maneat tua fœda voluptas;
Ista brevis, tamen heu nimium, æternumq; dolenda.

PROSA XV.

TYR = Sentio quæ mihi justissimo jure impositæ sunt partes. Extremæ esset dementiæ illas detrectare. Audeo et confido, Deo bene juvante, non segnem omnino me futurum. Sed heus tu. Me piget, pudetque mei. Edoce quomodo sublimi contemplatione Domino meo queam conjungi = JO = Nescis quam magnum sit id quod postulas. Hæc nempe vivendi consuetudo, hi mores rem tantam? Audi Ambrosium clamantem: *Ante vita, quam doctrina est quærenda* = TYR = Istud ago; audeo auxi-

xiliante Domino, quicquid facto sit opus ut ad tanta deveniam, peragere = JO = Illud erit in primis curandum ut animi tui complicatam evolvas notionem; quis fueris; qualem te præstes futurum sedulo expendas. Ad lumen rationis, quæ agendorum regulam cum primum tibi illuxit proposuit, quid adjecerit Fides videas; quid Christiana militia cui nomen dedisti, suo jure in te sibi vindicabat, et quo modo ad ejus te præscripta comparaveris; quomodo affectus erga summum Imperatorem exemplo suo tibi præeuntem, clamantemque: *Qui vult venire post me abneget semetipsum &c.* hæc inquam si recte fuissent præmissa, justus esset petitioni tuæ locus. Abstersisti ne animæ tuæ labes? Conscientiæ vulnera sanasti? = TYR = Ego, Pater suavissime, non in multis, sed in omnibus me fateor deliquisse; sed cum ad meliora, Dei præveniente gratia, me sentiam excitatum, et terrenorum in me ardor deferbuerit, et voluptati præsertim quæ cum inhonestate conjuncta est, implacabile indixerim bellum, ardentique æternæ salutis desiderio tenear (quis enim desideriis modus?) non animi elatione quasi superbus irrepens, sed ut in tantæ felicitatis statum admirabundos animi mei sensus intendens, an quid exiguum inde lucelli ad me possem derivare viderem, rem maximam, perdifficilemque postulavi. Postulati si non æquitas, at causa saltem me tibi purgatum reddet; maxime cum alte infixus animo meo hæreat dolor errato-

rum

rum meorum, iratusque mihi non desinam flere; nec cessabo veniam cum lacrymis rogare, si forte Dominus convertatur et ignoscat. Miserrime omnium ingemo. Heu me!

METRUM XV.

Peccavi. Quo me vertam? Quas tristis adibo
A Sole sedes dissitas?
Quid faciam? Quo invisa feram mea membra; perosus
Noctem, diemque, & omnia?
Quis furor, heu quæ me miserum dementia cepit!
Quo quo cucurri perditus!
Me potuisse mihi tantum hunc afferre dolorem,
Huic me ruinæ tradere!
O Pater Omnipotens miseratus respice lapsum,
Mihique clemens consule.
Tu solus potes innumeras detergere sordes;
Sanare tanta, & vulnera.
Effice ne peream, ne me spes deserat omnis.
Lenis rogantem suscipe.
Emoriar potius quam ausim tua spernere jussa.
Meæ salutis immemor.

PRO-

PROSA XVI.

JO = Macte animi. Perplacet. Et quoniam in hanc te viam dare fert animus, erigenda in primis mens tibi est ad excelsum illum quem Christiana virtus finem proponit. Egregias morum præceptiones sapientes Ethnici ipsi nobis reliquerunt; sollemne apud ipsos effatum non cupiditatibus hominem, sed ratione duci debere; Utili præferendum honestum, voluptatem ratione frænandam, & alia hujusmodi. At nos qui ad veræ virtutis amussim cuncta debemus exigere, hæc ad futurorum certissimam expectationem transferimus, nihilque utile dicimus, nisi quod ad æternam faciat felicitatem. Non intra naturæ motus, non intra rationis lumen nos continemus, sed hæc prætergressi, altissimum spectamus finem quem fides proponit, spes sequitur, caritas consequitur. In quam sententiam præclare magnus observat Augustinus Lib. I. Retr. *Hominem qui ad solius rationis normam vivit, bene vivere secundum hominem; sed cum secundum Deum sit vivendum, ut possit homo ad beatitudinem pervenire, non seipsa virtus debet esse contenta, sed Deo mens nostra subdenda est* = TYR = In quo magnifico adspectu virtutes mihi exhibes! Quanto decore conspicuas, majestate quanta exor-

exornatas cerno! = JO = Ecce qui secundum Deum sapit eam spectat Prudentiam quæ non solum utili, ac delectabili honestum præponit (quo erant Philosophi contenti) sed altius attollitur, totiusque adspectabilis Universitatis hujus pompas, delicias, fastum, & quicquid magni, & augusti hic deprehenditur contemnit, si ad summum quo adspirat bonum videat per hæc minimum sibi impedimentum creandum; nihili illa ducit præ vitæ æternæ desiderio. Jam vero temperat se omni voluptate vel damnata, vel superflua; sensibus ad solam naturæ necessitatem utitur. Hujusmodi ab Christiana Temperantia constitutos cancellos ille non transilit. Hunc adversa nedum frangunt, sed mirifice in sancto proposito confirmant. Mortem ipsam, quam *terribilium omnium terribilissimum* Philosophi dicebant impavidus adspicit, & suscipit exultans. Talis est illius Fortitudo. Quicquid agit, quicquid cupit, omnes cordis impetus, mentis aciem totam ad Summum dirigit Bonum, in id unum connixus ut cum divina mente perpetuo fœdere societur. Vides hoc in Dilecta Canticorum: Audi eam clamantem: *Ego Dilecto meo, et ad me conversio ejus* Cant. 7. 10. Jam illam mihi audire videor.

ME-

METRUM XVI.

Optata lætos duxit ad exitus,
Votique fecit non modo compotem;
Me Sponsus, adjecit sed ultro
Ipse novum cumulum bonorum.
In me benignus nam sua lumina
Convertit; ægris sollicitus meis
Respondet & curis, meosque
Æquat amans placidos amores.
Ast torret ardens dum face mutua
Me, fit beato fœdere particeps
Sortis, meorum ingentiumque
Assiduus socius laborum.
Quæ me premebat pondere sarcinam
In se recepit. Munera sentio;
Sed majus audens postulabo
Quæ sua sunt, mea posse dici.
Si tota flammis illius ardeo,
Ignesque toto corpore combibo;
Meis perustus languet ille
Flammiferis paribus sagittis.

PROSA XVII.

TYR = Hæc in fragilem nostram naturam cadere non posse videntur. Tantum ne se supra se levabit illa? Carebit ergo tunc homo *passionibus*? = JO = Quid mirum? Nonne cum Christo nomen dedimus, divina quam imitaremur nobis proposita est natura? Nonne eo consilio ad Christi Ecclesiam vocamur ut pristinæ reddamur felicitati, ut peste originis deleta *nova simus in Christo creatura, novumque figmentum*? Profecto pulcherrimam in qua innocentes conditi eramus Dei similitudinem et imaginem, quam per peccatum dolebamus corruptam, læti et exsultantes in nobis restauratam, novoque et Angelis ipsis invidendo decore auctam, in baptismate suspeximus. Si prima hominis fabricatio ad imitationem Dei similitudinis fuit, quid miraberis si hominem nunc ad tantam per Christi Redemptionem evectum celsitudinem, dixerimus eniti debere ut ad eum felicem perveniat statum, in quo quantum hujus mortalis vitæ ratio patitur, similis Deo appareat? Quin hoc quod incredibile tibi videtur, non est nisi legitimum pronumque Christianæ professionis consectarium. Jubet illa nos penitus Domino adhærere; Domini voluntatem jubet illa nostram fie-

fieri. Edicit ut omnibus viribus, et ex toto corde Deum amemus; proindeque in quocunque perfectionis excelso gradu hominem constituas, nunquam dices illum jam muneris obligationisque suæ limites fuisse prætergressum. Porro quod de *Passionibus* addebas ajo si de his ut naturæ sunt proprietates loqueris, manere in homine illo. Non enim virtutis est delere aut appetitum, aut ejus proprietates quæ sunt de ratione ipsius naturæ. Illas tamen perfecta virtus sibi subigit, et in officio continet. Cum enim hæc plenissimam cordis dominationem nacta fuerit, ita moderatur et temperat illas, ut rationi subdantur omnino, neque se ut rebelles et sternaces, verum ut ancillas et obsequentes virtutis se exhibeant pedissequas. Sic comparatus homo erit quasi ἀναμάρτετος (impeccabilis) et de eo jure dici posse videtur quod castus Joseph cum ab impudica hera pertentabatur: *Quomodo possum hoc malum facere?* Gen. 19. = TYR = Hæc ut plenius edisseras oro; tum etiam atque etiam rogo ut tantisper verba facias de felicissimo illius animæ statu, quæ ad Dei conjunctionem jam devenit. Quibus alis ad excelsum illum gradum fuerit evecta; quænam ejus tunc mens, quæ occupatio, quod consilium tu, quo nemo melius, mihi significes; quandoquidem ardet mihi animus jucundissima hæc quæ in me nullo pacto fieri queant, in aliis quibus nil fortunatius vidit Orbis, suspicere, admirari, invidere = JO = Nulla tui ergo est in me ad hæc mora.

LIBER III.

Felicitas animæ sublimi contemplatione in Deum elevatæ.

MONITIO.

S. *JOHANNES DE CRUCE in divinis explicandis arcanis Apostolicæ Sedis judicio divinitus instructus libros de Mystica Theologia, cœlesti sapientia refertos, conscripsit:* Verba sunt Breviarii Rom: Dignus tanto elogio vir, cujus perspecta sanctitas & doctrina idipsum mirifice confirmant. Tanti viri sensa argumenti necessitate tractus in hoc libro explanaturus, moneo me rem totam prout ab ipso disseritur, fideliter simpliciterque persecuturum. Nefas profecto duco ipsi, quem heic alloquentem induco, aliena affingere, vel incommoda interpretatione ejus verba ad alium ab illius mente sensum detorquere. Monere quoque non omitto hujus viri hic relatam doctrinam sublimitate sua horrorem primo intuitu legenti incutere: Ecquis enim non animo concidat audiens illam absolutam, omnimodamque animi vacuitatem tanta contentione, omnique ingenii vi a SS. viro propositam, propugnatamque? Totus in eo est ut immitis, durus,

rus, inhumanus, & atrox immisericorditer abscindat, separet, dividat ab anima quicquid purissimum non sapiat spiritum. Bonum ipsum non placet, nisi ad melius tendat. Quin quicquid ad perfectam (modo quo in hac vita fieri potest) Dei similitudinem non ducit, sit illud rectum & laudabile, vult omnino remotum. Cernimus hic quod magnus docet Apostolus Hebr. 4. illis verbis: *Vivus est sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum.* Etenim non contentus Johannes hic divisisse sensile corporeumque ab eo, quod intellectus & rationis est, progreditur ulterius, & in animæ ipsius arcem invadens, longa & dura hic divortia imperat, & sector egregius animam ab anima dividens, summam qua nihil supra excogitari possit perfectionem in illa statuere conatur. Mysticæ Circumcisionis admirandum hunc dices auctorem. Ne tamen arbitreris doctrinam hanc pro omnibus animæ statibus accipiendam. Non proponitur hæc incipientibus, ambulantibusque per Meditationis, atque discursus semitas, atque ex corporeo & sensili ad id quod omnino spiritus & intellectus est perreptant; etenim idem S. Magister apertissime id confirmat, dum jubet hanc Meditationis viam tenendam donec anima elevetur ad sublimioris contemplationis gradum, & Capp. 13. & 14. Opusculi cui inscriptio. *Adscensus ad Carmelum* notas & signa tradit un-

 de

de possit agnosci quando Dominus ad sublimem illum statum animam evocat. Ergo tunc obtinet hæc asserta *Circumcisio* (liceat sic loqui) quando anima est in memorato sublimi statu, & tunc quod minus perfectum est, ut perfectiori locus detur, vult ipse eliminandum. Mirandum quoque non est si locutiones quasdam hic invenies a communi usu dissidentes, & quæ cum rerum natura videntur pugnare; etenim hæ accipiendæ sunt ad captum altissimæ hujus Mysticæ scientiæ. Nihil scandali patiaris dum audies *Annihilationem*, *Otium*, *Quietem*, & quamplurima hujusmodi; sunt enim ad mentem singularis hujusce facultatis exigenda. Turbaberis scio dum audies umbras & imagines temporalium rerum excludendas omnino; repellendas affectatas animæ munditias; intellectus puritatem inquinari a sensibilibus operationibus & phantasmatibus; animæ potentias suspendi; inertem illam manere; adeo tunc arctam esse animæ cum Deo conjunctionem ut illa esse desinat, tota in Deum transferatur; esse Deum inter & animam arcanas & intimas quasdam communicationes, quæ transeant in animæ substantiam, sintque velut divinæ unionis substantiales ictus. Quis non cœlum terræ misceri, & mare cœlo putet a S. nostro Doctore edicente recusandas ablegandasque ipsas revelationes, visionesque, & alia hujusmodi? Verum hæc omnia recto stabunt talo si adverterimus de quo animæ statu, & de quo tempore locutus fuerit ille, idque aper-

aperte in hujus III. libri decursu explanabimus. Interim prætereunda hic non est egregia Card: Cajetani præceptio: „ Notent, ait ille, qui „ alios in via Dei instruunt ad profectum spi- „ ritualem, & diligenter efficiant ut prius in „ vita activa exerceant eos quos instruunt: „ quam contemplationis fastigium suadeant. „ Oportet siquidem prius passiones domare ha- „ bitibus mansuetudinis, patientiæ, liberalita- „ tis &c.: quam ad contemplativam vitam a- „ scendere; & ob hujus defectum multi non „ ambulantes, sed saltantes in via Dei, post- „ quam multum temporis vitæ suæ contem- „ plationi dederunt, vacui virtutibus inveniun- „ tur, impatientes, iracundi, superbi, si in „ hujusmodi tanguntur „. Si nullibi de verborum delectu, sermonisque elegantia fui sollicitus, hic necessitas ipsa me barbarum impolitumque efficit. Habet unaquæque facultas voces, atque phrases sibi proprias, nosque loquentes de rebus prorsus ignotis priscis illis Romanæ eloquentiæ magistris, non possumus eorum lingua loqui. Hæc præfari non fuerit omnino inutile; nunc rem ipsam, Deo bene juvante aggrediamur.



PROSA I.

JO = *Contemplativa vita amabilis valde dulcedo est* (Greg. Magnus Hom. 14. in Ezech.) *quæ super semetipsam animam rapit*, *cœlestia aperit*, *spiritualia mentis oculis patefacit. Est illa quædam inchoatio beatitudinis* (S. Thom. 2. 2. qu. 80. art. 4.) *quæ incipit ut in futuro continuetur*. Magnus Dominus & laudabilis nimis, & miserationum ejus non est numerus. Ipsi honor & gloria, & per cuncta sæcula gratiarum actio. Divitias misericordiæ suæ in nos ostendit, dum egregio invidendoque decore ad se in hac lacrymarum valle adhuc positos nos attrahere, seque nobis jungere dignatur. Ades dum Tyro. Res tua agitur. Ecce non inanibus fabulis accensenda nobilissima μεταμόρφωσις animæ sublimi contemplatione ad divinos amplexus delatæ. Felicem qui se abnegavit. Omnia in Deo inveniet ille qui omnia sua dereliquit. Non erit amplius ænigma illud Jo. 12. *Qui perdet animam suam inveniet illam* = TYR = Exulto hæc audiens, paratus sum quantovis laborum, ærumnarum, dolorum pretio hæc mihi comparare = JO = Non ærumnis, sed suavitatibus pararis. Non ad labores, sed ad mollia otia te duco. Non dolores, sed vivida gaudia experieris. Oblivisca-

scamur terrena omnia; subeant divina; quandoquidem divinum est quod poscimus. Ecce tria nobis illucent cœlitus demissa egregia dona. Hæc avidissime arripiamus. His subnixi, voti compotes erimus. Sunt autem *Fides*, *Spes*, & *Caritas*. Hæc si ut decet accipiantur, nihil erit ultra quod ad rei summam desideretur.

METRUM I.

TErna cœlesti locuplete ab arca
Dona depromit Deus; & saluti,
Destinat nostræ; patet his beata
Regia nobis.
En Fides *claris tenebris amicta*
Prima se prodit. Sequitur citato
Inde Spes *gressu, sociasque jungit*
Inclyta vires.
Quæ Fides monstrat bona sempiterna
Spes cupit, tristes animosa curas
Disjicit longe, validoque munit
Corda vigore.
Ast opus cæptum speciosa lætum
Ducit ad finem properans corusco
Caritas *curru; dominata late*
Ista triumphat.
Tergit hæc nostràs lacrymas; coronat
Gaudio pleno trepidos labores;
Atque mortali laqueo solutos
Inserit astris.

PROSA II.

Et quoad primum h. est. Fidem, in hac Contemplatione quæ omnium sublimissima est, quæque diu durare non potest, cum nulla actio in summo diu durare possit (1) anima prætergressa ordinarium Meditationis cursum, novam init rationem. Divortium sibi indicit intellectus ab omnibus quæ sub sensum cadunt, vacuusque omnibus terrenis imaginibus asserit se in libertatem, & requiescit in Fide. Sola namque Fides est proximum, & aptissimum vinculum quo Deo anima conjungitur. Hac sola via intellectui nostro manifestat se Deus in divina sua luce quæ captum omnem, omnemque naturalem intelligentiam exsuperat. Hinc quo major est Fidei obscuritas, eo intimius illi conjungitur Deus. Nihil hic terrena omnia sibi vindicant scientiarum lumina, nihil vanæ intellectus speculationes, nihil Philosophorum excogitata sibi arrogant (2). Abneget se-

(1) Aristotel. & ex eo S. Thomas.

(2) S. Bernard. Serm. 52. in Cantic. *Moriatur anima mea morte etiam si dici potest Angelorum, ut præsentium memoria excedens rerum se inferiorum corporearumque non modo cupiditatibus, sed & similitudinibus exuat, sitque ei pura cum illis conversatio cum quibus est puritatis similitudo*. Et S. Dionys.

semetipsum intellectus. In obscuritate sua quærat Dominum. Hæc est illa *munditia*, nulla phantasmatum caligine obscuranda (1). Tunc illa Fides quæ maxime videtur obscura, supra modum lucem profert exuberantem (2). = TYR = Hem! Quid narras? = JO = Attende sacra eloquia. *Caligo sub pedibus ejus, & ascendit super Cherubim, & volavit super pennas ventorum, & posuit tenebras latibulum suum. In circuitu ejus tabernaculum ejus; tenebrosa aqua in nubibus aëris*. Psalm. 17. Vides prioribus verbis Fidei obscuritatem indicari. In eo autem quod subditur: *Ascendit super Cherubim, & volavit super pennas ventorum*: liquido declaratur quod super omnem intellectum evolat ille (*Cherubim* enim intelligentem, vel contemplantem significat) & sublimes subtilesque quasvis spiritus elevationes, quæ *pennarum* nomine exprimuntur, lon-

nys. ad Timot. sic: *Tu autem derelinque & sensus & intellectuales operationes, & omnia sensibilia & intelligibilia . . . & teipsum intende quasi cognitione vacantem: Sola enim extensione quadam tum a teipso, tum ab omnibus expedita, ad ipsum divinæ caliginis radium absolutus ab omnibus elevabis*. Id. ibid. *Hanc nos prælucidam caliginem ingredi precamur atque per visus cognitionisque vacationem videre & nosse quod est visione notitiaque superius*.

(1) S. Thomas.

(2) S. Dionysius. „ Illic sane quod tangi vi-„ derique nullo modo potest splendoribus plusquam „ pulchris ad exuberantiam implet omnes quasi ca-„ ptos oculis intellectus.

longe transgreditur. Etenim supra has omnes ejus divina essentia evehitur. Nullum suis viribus fretus ad eum homo habebit accessum = TYR = Placet id incredibiliter. Habemus majoris obsequii materiam.

METRUM II.

TE minus obscuram, majori & luce nitentem
Sancta Fides alius cupiat; fulgentibus armis
Insignem, niveos artus, niveasque decoro
Cultu attollentem vestes optetque tueri.
Me juvat obscura positam te cernere sede;
Et caligantes sacros stat adire recessus.
Lux mihi clara tuæ tenebræ sint. Condar in istis;
His ego circumder. Scio quantum prosit habere
Has mihi perpetuo socias, & corde fideli
Devotum Domino semper me credere totum.
Quid ratio, sensus, lux, experientia possunt
Confirmare mihi, quando contraria certe
Cognovi dixisse Deum? Non plura requiram.
Nec nisi captivæ in morem se vis animai
Subdet, & obsequio studiosa addicta voluntas
Se penitus Domino committet, & omnia credet
Nil cernens, nullaque sibi præeunte lucerna
Tantum audax Dominum fidensque secuta loquentem.

PROSA III.

JO = Sed & quis ignorat quod cum complesset Salomon Templum Dei, & solemnem celebraret dedicationem, descendit majestas Domini, & nebula obumbravit totum locum illum sic ut non possent Filii Israel adspicere, & exclamavit Rex: *Dominus dixit ut habitaret in nebula*. In nebula quoque Moysi in Monte apparuit, nihilque frequentius in Scripturis. Semper enim ae Dominus vel de magni momenti rebus agere, vel insignia deferre volebat beneficia, nube, vel tenebris coopertus apparuit. Lege librum Job. Illæ autem tenebræ indicant obscuritatem Fidei, in qua obscuritate se condit Divinitas dum hominibus communicatur. Cessabit hujusmodi obscuritas cum, ut ait Paulus, *Evacuabitur quod imperfectum est*; scilicet caligine & tenebris Fidei evanescentibus succedet id quod *perfectum est*, scilicet *divina claritas*. Habes pulcherrimam hujus in Gedeonis exercitu figuram. Milites illi gestabant lucernas; eas tamen ipsi non videbant quia portabant illas reconditas in lagenis. Sed his postea confractis lux apparuit. Cum ergo lutea hæc corporum nostrorum vasa fuerint per mortem confracta, irradiabit tunc clarissima illa lux de qua loquimur. Verum

rum ut anima in hac vita ad Dei perveniat conjunctionem est omnino necesse ut cum his tenebris fœdus feriat; accedat ad Fidei nebulam; sumat in manibus per offusas noctis caligines Gedeonis urnas, ut habeat in manibus h. e. in actibus voluntatis lucem, quæ est divini amoris consecutio, licet obscure in Fide = TYR = At legi in Asceticis libris quod non infrequenter Dominus clara immissa luce tenebras de quibus loqueris rarefacit, speciali favore homines sibi caros demulcens & recreans. Et quoniam de INTELLECTU sermonem institueras, ajo (ut etiam a Sacris Concionatoribus interdum audivi) hunc in quibusdam ope omnium corporis sensuum mirifice, & clare adjutum, illustratumque fuisse, dum nunc hominum illorum oculis exhibitæ sunt vel Sanctorum, vel Angelorum variæ figuræ; coruscationes quoque non raro superni luminis. Hauserunt quandoque auribus sonora verba, vel concentus, modulationesque musicas, nescientes unde proficiscerentur. Quin & odoratui sunt suavissimi ingesti odores, nec eorum causas deprehendere. Tandem etiam in gustu, & tactu eorum mira quædam iidem stupentes sensere. Gratissimo ille sapore recreatus est; hunc voluptas tanta pervasit, ut ossa, medullasque in optatissimæ delectationis pelago diceres jucundissime innare. Est apud Mysticos Theologos hæc quam memoravi suavitas valde celebris, ajuntque hanc a spiritu in mem-

membra derivari. Addunt id plerumque contingere immaculatis, sed simplicibus hominibus.

METRUM III.

Jurato ne crede Catoni
Delicias si dixerit esse
Mundi hujus. Tantum aspera quæque
Tristiaque a virtute venire.
Oblectamenta omnia namque
Fert una, & sola inclyta virtus,
Hoc ipsi agnovere magistri
Vera Religione carentes,
Si tantum tribuere sed illi
Virtuti sterili, error iniquus
Quam tenuit; quid dicimus ipsi
Nunc cum virtus vera refulget
Divino firmata vigore?
Quanta ex illa gaudia! Quantæ
Deliciæ! Quæ vera voluptas
Ut proprio de fonte perenni
Manabunt? Si nulla darentur
In Patria quoque præmia, merces
Esset in hac bene splendida terra.

PRO-

PROSA IV.

JO = Hæc a Domino evenire posse non abnuo. Ecquid enim repugnat? Illud tamen tibi in animum inducas velim, optime sibi hominem consulere si ab his ultro abhorreat (1). Cum enim hæc sint exteriora et corporea, minus

(1) S. Thom. 2. 2. quæst. 180. art. 6. in R. ad 2. sic: *Exigitur ut duplex intellectus deformitas amoveatur, primo illa quæ est ex diversitate rerum exteriorum; secundo ea quæ est per discursum rationis. Et hoc contingit secundum quod omnes operationes animæ reducuntur ad simplicem contemplationem intelligibilis veritatis, unde prætermissis omnibus in sola Dei contemplatione persistitur.* Cæterum quæcumque hic habet Jó. noster non sunt crude accipienda. Vult revelationes visionesque recusandas, prout impediunt simplicissimam, & maxime unam Primæ Veritatis contemplationem. Non est ejus mens ut excludatur spirituale & intelligibile, quod res divinas repræsentat; imo hoc vult & requirit tamquam magnum adjumentum ad elevandam animam ad Dei unionem, quæ est in intellectu pura fides. Removet ipse tantum peculiares imagines notitiasque sensilis & intelligibilis, ne fasciis, & quasi pannis infantiæ obvolvatur immensum illud veritatis cœlestis pelagus, sed totum reducatur ad substantialem altissimam notitiam fidei trascendentis omnem imaginem, figuram, limitemque, & Deum in sancta obscuritate, confusione, & universali non extenuata ratione respiciens. Sed de hoc infra.

nus credibile est a Deo in animam hoc in statu positam immitti, cum multo magis deceat Deum communicare se spiritui in quo major est securitas et profectus, quam sensui in quo et periculum et deceptio latitare possunt. Etenim et tunc corporeus sensus se spiritualium rerum judicem æstimatoremque constituit, decernens illas sic se habere ut sentit ipse. Et tamen sunt hæc adeo inter se diversa, tantoque unum ab altero distat intervallo ut cœlum et terra, ut Anima et Corpus, ut sensus et ratio. Nec minus ineptus est ad spiritualia dijudicanda corporeus sensus, quam est jumentum ineptum ad judicandum de rebus quæ ad rationem pertinent. Qui ergo visiones illas, motionesque magni facit; qui eas exoptat, insigniter errat, et periculorum atque deceptionum laqueos sibi parat, cum facillimum sit Diabolum qui in Angelum lucis frequenter se transfigurat per illas irrepere, et fucum facere. Ingens quoque inde ad vanitatem fenestra; facilis ad arrogantiam gradus; pronus et lubricus ad superbiam lapsus (1) = TYR =

At

(1) Ne arbitreris Johannem nostrum hic rejicere spiritum & substantiam harum repræsentationum in anima receptum. Vult tantum non curanda accidentia sensilia, & intelligibilia illarum; quæ quamvis non opponantur Fidei veritati, sunt tamen quoad modum quem perfecta Fides postulat, minus apta. Fides exigit omnimodam animi demissionem, & immetatam subjectionem; scilicet ut intellectus captivum prorsus se præbeat incomprehensibili Veritati, &

At ipse fassus es posse hæc ab ipso Deo immitti. Non exoptabo igitur quod a Deo est? = JO = Nullam, etiam hoc posito, Divinæ Majestati per te injuriam irrogatam arbitreris, neque existimes averti fructum et effectum quem Deus velit operari per illa, etiamsi tu illa non exoptes. Etenim si communicatio illa a Deo est, in eodem puncto quo apparet, vel sentitur, effectum suum in spiritu operatur, et anima, passive se habet, nec ab ejus voluntate pendet ut adsit, vel absit motio illa. Id perinde se habet ac si quis ignem in nudum injiceret hominem, non enim esset penes hunc uri, vel non (1) = TYR = Hæc quo tendunt? Er-

& divinæ bónitati, atque non respiciat quousque possit ipse pervenire, sed totum se Deo permittat, seque in Deum conjiciendo in ejus veritatem ingrediatur. Hanc esse mentem hujus S. Scriptoris patet ex Lib. 2. Opusculi memorati Cap. 17. ubi luculentissime statuit non esse omnino eliminandas hujusmodi visiones, sed monendum ut homines religiosi intelligant non in his operæ pretium stare. Hinc arguit Confessarios longas de his disputationes instituentes, & in his visionibus rei summam ponentes, fastidioso & inutili labore indicia tradentes quomodo veræ a falsis queant discerni, subdit: *Licet hæc sint scitu digna, tamen non expedire animam in hoc periculorum plenissimum negotium impellere, nisi magna urgente necessitate.*

(1) Agitur hic de prima impressione, & tunc dicunt Mystici potentias esse suspensas, & sensus est potentias non operari ex proprio, quoniam id quod accipiunt, totum est infusum, & id quod tunc fit ex parte intellectus non est nisi alta admiratio, & su-

Ergo meritum, vel culpam fingemus in anima sine ejus assensu vel dissensu? Nihil ergo operabitur illa? Ut inanime quiddam, et iners se habebit. = JO = Quomodo hoc venit in mentem? Non hic de merito agimus, sed primam motionem, vel impressionem inspicimus. In hac passive se habet anima, nec penes ipsam est assentiri, vel dissentire. Et ut quæ innuimus magis confirmentur, scito quod visiones, et motiones de quibus loquimur, dum bonæ sunt, et a Deo immittuntur prius et validius in anima quam in corpore suum operantur effectum. At illæ quæ Dæmonis opera excitantur inferunt animæ inquietudines, alterationes, ariditatem spiritus, vanitatem, arrogantiam. Fateor minus esse in his ad nocendum roboris, quam in illis ad auxiliandum juvandumque virium, quia illæ Dæmonis hærent

susceptio divinæ lucis qua se illustrari, & occupari sinit. Voluntas autem sic motione illa percellitur ut non sentiat, non amet, non cupiat, nisi solum Deum, & sic in eo lætatur, sic se totam Deo permittit ut nihil agere videatur; & in illa jucunditate defixa, *magis*, inquit S. Thomas, *assimilatur quieti, quam motui*. Huc revoca illud Apostoli: *Qui Spiritu Dei aguntur hi sunt filii Dei*, & quod de Gratia excitante ajunt Theologi, quod illam Deus in nobis, sine nobis operatur. Ergo cum dicunt Mystici potentias non operari, id tantum volunt: in illa communicatione supernaturali & infusa potentias non se habere more solito, laborando, ratiocinando, discurrendo, suam vim exerendo, nec operari per modum motus, sed per modum quietis. Sed de hoc infra.

rent in primis motibus, nilque incommodant, nec diu inquietudo illa perdurat, modo voluntas non præstet se segnem. At illæ quæ sunt a Deo intime animam afficiunt et penetrant, egregios relinquunt in ea effectus, scilicet incitamentum ad bonum, victricemque delectationem, quæ mirifice ad pietatem impellunt, et ad magnum salutis opus libere et amanter aggrediendum disponunt. Res utcumque se habeat, id sibi proponat animus non esse illis c[illegible]dendum, nec magni faciendas, maxime, [illegible] ut alia prætereamus, contingat interdum aditum per illas Diabolo ut irrepat parari.

METRUM IV.

Callida Tartarei quæ vis, & quanta Draconis
Noli molestus quærere.
Ætas, consilium, mens, ars, studiumque nocendi
Reddunt timendum maxime.
Opportuna operi speculatur tempora sollers,
Partemque nostri debilem.
Impetit hanc ferus; atroces huc dirigit ictus,
Sævusque pugnas excitat.

PRO-

PROSA V.

TYR = Conjicio hinc necessarium quoque esse, quandoquidem eadem militat ratio, ut abhorreat hujusmodi anima ab omni Meditatione. Est enim hæc intimus actus mentis percurrens per imagines, formas, et figuras a sensibus haustas; ex illis enim conflatur et efficitur. Non ergo æquum erit volentem me ad *unionem* illam (ut Mystici appellant) pervenire menti meæ exhibere vel pulcherrimam lucem, vel sedentem super Cherubim Dominum, in illa forma quam describit Propheta. Etenim ad ravim usque ingeminasti oportere evacuare animam ab omnibus imaginibus corporeis, quia nullam habent hæ cum spiritualibus αναλογιαν (proportionem, seu convenientiam.) Unde quicquid suggerit, id non poterit ut proximum medium divinæ illius conjunctionis spectari (1) = JO = Meditationem

(1) Memoria nunquam excidat Johannem hic agere semper de perfectissimo Contemplationis gradu. At ad uberiorem dictorum, dicendorumque explanationem operæ pretium est advertere plures esse Contemplationis gradus, quos Scriptor qui Dionysius Areopagita vulgo audit, explicat similitudine trium motuum, scilicet Recti, Obliqui, & Circularis. S. Thom. Aquinas, si in omnibus quæ scripsit

nem commendamus, Imagines illas esse quam maxime utiles dicimus, et ut remota media se ha-

psit mirabilis apparet, in his persequendis se ipse vincit. Eum consule 2. 2. q. 180. art. *6.* & de Verit. q. 8. art. 15. Ex ipso discimus operationes intellectus, in quibus contemplatio posita est, recte dici posse *Motus* ad mentem Philosophorum vocantium *Motus* operationes potentiarum intellectualium, quia per sensilia assurgimus ad spiritualium cognitionem; & quemadmodum sensuum operationes non fiunt sine aliquo motu proveniente ab impressione externarum rerum in ipsas incursante potentias, ita spiritus operationes nominantur *motus*. Sunt autem tres diversi motus locales *: Circularis*, *Rectus*, & *Obliquus*. Omnium perfectissimus est *Circularis*, quia est magis uniformis, & vertitur semper circa idem centrum. *Rectus* est inter duo puncta, quorum unum relinquitur, ut accedatur ad alterum. *Obliquus* constat ex utroque. Appropinquat Circulari, non tamen ejus assequitur perfectionem. Motus Rectus exhibet nobis minimam & humiliorem contemplandi rationem; estque cum anima ex aspectabilium consideratione ad eorum assurgit Factorem; ex creatis rebus ad Creatorem avolat; hunc in illis quærit & diligit. Perfectior est motus *Obliquus*, estque cum anima elevat se ad Deum, & contemplatur ineffabilis divinitatis perfectiones. Sed cum has ut in se sunt assequi mentis acie nequeat, illas considerat in Dominicæ Incarnationis mysteriis, quæ sensili modo perfectiones illas ipsi exhibent. Ecce Misericordia Domini quæ prius erat ignota, apparuit ex Apostolo in Domini Nativitate. In quod adverte Scripturam Verbo post carnem assumtam tribuere illa tria, quæ ad perfectam rei cognitionem requiruntur; quæ sunt *Lumen* quod corroborat potentiam; *Imago* quæ rem

habere ad conjunctionem illam de qua loquimur; hinc incipientibus illas proponimus, pla-

rem repræsentet, & *Speculum* in quo res cernatur: *Candor est lucis æternæ, & speculum sine macula Dei majestatis, & imago bonitatis illius*. Sapient. 17. Habes hic illa tria. Ecce in hoc gradu. „ Anima (sunt verba S. Thom. loc. cit. de Verit.)
„ movetur in Deum ex illuminationibus ex Deo re-
„ ceptis, quas tamen recipit secundum modum suum,
„ sensibilibus figuris velatas; sicut Isaias vidit Deum
„ sedentem super solium excelsum & elevatum. Hic
„ motus est Obliquus habens aliquid de Uniformita-
„ te ex parte divinæ illuminationis, & aliquid de
„ difformitate ex parte sensibilium figurarum. Unde
„ Dionysius dicit, quod Oblique movetur anima,
„ in quantum secundum proprietatem suam divinis
„ illuminatur cognitionibus, non intellectualiter &
„ singulariter, sed rationabiliter & diffuse „. Summus & perfectissimus motus est *Circularis*, & ad hunc revoca cuncta quæ hic tradit Johannes noster. Hic motus animam Deo tamquam suo centro conjungit unico intuitu sine actuum, cogitationum, ratiociniorum multitudine, æmulaturque Angelorum in patria prærogativam. Hi mirabili constantique æquabilitate cognitionis immensum illud summum bonum contemplantur, eique adhærent; toti in illud incumbunt, nec minimum quidem ab illius pulchritudinis obtutu deflectunt, quod idem Dionysius Lib. de Div. Nom. Cap. 4. exprimit illis verbis. *Manent in identitate circa identitatis causam pulchrum, & bonum circum, chorum agentes*. Et de hoc statu sic S. Thom. loc. cit. „ Anima a se omnia sensibi-
„ lia abjicit, supra omnia Deum cogitans, & etiam
„ supra seipsam, & sic ab omni difformitate sepa-
„ ratur, & hic est motus circularis, Unde Diony-

„ sius

cetque eos formarum hujusmodi adminiculo, et φαντασματων adjumento paulatim attolli ad gra-

„ sius dicit, quod animæ circularis motus est introi-„ tus ad seipsam ab exterioribus, & intellectualium „ virtutum ipsius convolutio, & quod demum uni-„ formis facta unitur unitis virtutibus, & sic manu „ ducitur ad id quod est super omnia „. Et quoniam in his sumus non prætereamus utilissimam animadversionem quæ in hactenus dicta cadit, & quæ unam de maximis Fidei veritatibus nobis exhibet. Memorati tres Contemplationis gradus respondent tribus Spiritus S. donis. Primum contemplationis gradum respicit donum *Scientiæ*. Hæc res creatas spectat, prout sunt Dei imagines. Hac agente non sistimus in illis creatis rebus, sed adducimur ad Factoris cognitionem, statimque mentem subit cogitatio: quam bonus & amabilis ille sit qui nostri ergo tanta condidit; quæ si jucunda adeo & pulchra sunt, qualis erit Creator? Si languida adumbratio tanti est, quale quantumque erit exemplar? Quid enim sunt omnia creata nisi minima, exilia & languida indicia perfectionum, quæ in tota sui plenitudine in Deo reperiuntur? Quid cunctæ res adspectabiles, nisi nunciæ amoris quo ille nos prosequitur, testes benignitatis qua ille nos afficit? Hæc anima perpendens mirifice angitur, vehementerque dolet se creata Creatori prætulisse; hæc amasse, illius oblitam fuisse, imitaturque Davidem dum dolore & amore tactus clamabat: *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die & nocte dum dicitur mihi quotidie: Ubi est Deus tuus.* Hinc August. de Serm. Dom. *Scientia convenit lugentibus qui didicerunt quibus malis vincti sunt, quæ quasi bona petierunt.* Jam vero Sapientiæ donum respondet secundo Contemplationis gradui in quo anima fertur in Deum, contemplatura ejus perfe-

gradum de quo agimus. Incipientes hi per hæc media ad terminum properent; non si-

G 4 stant

fectiones; sed cum has prout in se sunt assequi nequeat, eas in Incarnationis, aliisque vitæ Christi mysteriis considerat, in quibus sensili forma illæ perfectiones se præbent conspiciendas. Hæc autem non inani transiguntur speculatione, neque sterili animadversione ea tunc attendit anima (esset enim alias id Philosophorum sapientia, & non donum Spiritus S.) sed vivido amore tacta hæret in illis, suaviter versat, dulcissime gustat; hinc in amœnissimam jucundissimamque attollitur contemplationem, ardescitque tuendo mysteria illa, eaque quasi tunc fierent videt; firmissima tenet fide, nilque certius exploratiusque illis arbitratur. *Procedit*, verba sunt S. Thom. in 3. Diss. 25. q. 2. *Sapientiæ donum ad quandam Deiformem contemplationem, & quodammodo explicitam articulorum, quos fides quodam involuto modo tenet secundum humanum modum*. Respondet huic Sapientiæ dono septima Beatitudinum, quæ est illa Pacificorum, quia tunc homo lucis claritate in intellectu perfusus, vi amoris in corde perculsus, omni obsequio & tota animi demissione cuncta quæ Fides proponit, libentissime suscipit & amplectitur. *Sapientia convenit pacificis in quibus nullus motus est rebellis, sed obtemperans rationi*. S. Thom. 2. 2. q. 45. Tandem tertius Contemplationis gradus respicit donum Intellectus. In hoc gradu anima unico intuitu, discursu & ratiocinatione remota evolat ad Deum, Deo adhæret, Deum contemplatur. Ordinarie intellectus noster res cognoscit per earum proprietates & effectus; sed cum nova adveniente luce, unico intuitu in rerum naturam penetrat, tunc non hominis, sed Angeli instar se gerit, quod pulcherrime Angelicus præceptor perse-

qui-

stant in illis; nunquam enim alias pervenient. Ut enim gradus scalæ sunt medium non terminus, et per illos ad terminum pervenimus; et sicuti a fine suo excideret, et ad mansionem

quitur in 3. Diſſ. 35. q. 2. artic. 2. ibi. „ Aliquando vero ad intima non pervenitur, niſi per circumpoſita quaſi per quædam oſtia: Et hic eſt modus apprehendendi in hominibus, qui ex effectibus & proprietatibus procedunt ad cognitionem essentiæ rei, ſi supernaturali lumine mens in tantum elevetur, ut ad ipsa spiritualia aspicienda introducatur: Hoc supra humanum modum eſt. „ Respondet hoc donum sextæ Beatitudini, quæ eſt illorum qui sunt mundo corde quibus Dei viſio promittitur. In hoc ſtatu veritates Fidei apprehenduntur ut prima principia, quorum eſt ut ſtatim audita probentur„ .His perpenſis video magnopere dolendum de ubique dominante veterno & inertia Chriſtianorum. Unde fit ut hyperborea frigidiora nive pectora noſtra, nulla divinorum motione tangantur, nullo pietatis sensu afficiantur; nullos cœleſtis incendii concipiant igniculos? Pleno ore, inflatis buccis, magna laterum jactatione Fidei dogmata, Ethicæ Chriſtianæ præcetiones, Morum regulas inſinuamus, efferimus, prædicamus. Calent clamoribus noſtris templa, ædes, plateæ; sonoræ cohortationes, ardens zelus, amaræ increpationes ingeminantur, & nos interim? Sumus *ne verbi factores?* Hei mihi! Fungimur vice cotis *acutum reddere quæ ferrum valet exsors ipsa secandi*. Horat. Hoc fit quia Spiritus S. donum maximam animi cordisque munditiem requirit, quam dum non afferimus ipſi, semper pravi verbum Dei dehoneſtamus, & Pharisaicos mores imitamur.

nem ad quam scala destinatur non perveniret qui hæreret in gradibus; sic et illi si unice sisterent in illis corporeis imaginibus, nunquam ad requiem, et immensi illius boni assecutionem devenirent. Sed quoniam divina Sapientia non solum fortiter, sed et suaviter cuncta attingit et disponit, liquet hinc quod Deus ut moveat animam, et ab imo conditionis et status sui gradu ad excelsam evehat commemoratam *unionem*, id suaviter et ad modum, et captum ejusdem animæ peragit. Porro cum sit hæc animæ natura ut cognoscat per formas et imagines rerum creatarum, cognitionis suæ modum sensuum adminiculo efformet; hinc fit, ut Deus eam attollat ad summam cognitionem, idque suavissimo efficiat ordine, opus esse ut ab imo eam sensuum gradu excitare incipiat; sensim deinde ad summum sapientiæ spiritualis elevet fastigium. Animam ergo illam incipit ducere per formas, imagines vias ad ejus captum accommodatas, hisque ad conjunctionem illam iter ei munit. Cogita versari nos inter duo extrema *Humanum* & *Divinum*; *Sensum*, & *Spiritum*. Hæc inter se coalescere et perfecte conjungi nequeunt unico actu, nisi multis præviis dispositionibus. Cernimus idipsum in agentibus naturalibus, ubi primæ dispositiones fundamenta faciunt secundis, et hæ tertiis, et sic deinceps. Cernes ergo Dominum perficere primum in his exteriores sensus. Unde adspicimus homines illos a luxu et deliciis se temperare; attente et devote sacris adesse;

mo-

modestiam præseferre, carnem suam macerare, et bonorum vi exemplorum aliis prælucere. Jam vero per hæc vestigia strenue incedentes uberioribus cumulat favoribus Dominus; Confirmantur magis in bono illi, et ad perfectionis apicem se disponunt, et divina in dies operante gratia, et sollerti eorum cooperante diligentia tandem acquirunt habitum spiritualium rerum, deveniuntque ad id ipsius spiritus quod perfectius est, scilicet ad fastidium, alienationemque omnium rerum quæ sub sensus cadunt. Ædificio huic poni debet fundamentum carnis maceratio. = TYR = Hoc ægerrime audiunt qui sæculo indulgent. Negare autem non ausim rem difficilem postulari = JO = Quis autem tuus sensus? = TYR = Ego ne . . . Sic fæde . . .

METRUM V.

Tantis ergo tumultibus
Carnis fæda licentia
Conturbas requiem mihi?
Omni tempore tristia
In me prælia suscitas?
Tali siccine funere
Tu me perdere suscipis?
Hæc stultus patiar diu?
Captivasque dabo manus

Cla-

Cladi victima flebilis?
Ah non; Falleris impia;
Tantæ crimen inertiæ,
Tantum dedecus auferam.
In te pessima viribus
Atrox omnibus irruam.
Duris membra laboribus
Divexata premam gravi
Torquens assidue fame.
Planctus, sævaque verbera,
Et quicquid cruciet meum
Corpus naviter in tuum
Armabo exitium impiger.

PROSA VI.

HÆc magnum initio incutiebant horrorem, nunc mitescere videntur. Non tamen penitus omni metu liber sum. Etenim si *Vacuitas* illa intellectus omnino ad perfectionem Fidei recipiendam necessaria est, nec ad divinos amplexus assurgere potest homo nisi omnibus se plenissime spoliet corporeis, imo & spiritualibus imaginibus, jam id ipsum ad Spem & Caritatem extendere debebimus, & proinde memoriam quæ spei sedes, & voluntatem quæ Caritatis domicilium est, evacuare speciebus, & omnibus quæ externis sensibus percipiuntur debemus, ut ad perfectissimum illud memora-

tum

tum fastigium perveniamus. = JO. = Quid ni (1)? TYR. = Hoc nunquam in animum mihi induci patiar. Video enim hinc naturales

(1) Præcipuum Contemplationis objectum est Deus prout in se est. Quemadmodum in Patria felicitatem nanciscuntur Beati in Dei intuitiva Visione; sic in ista Contemplatione quæ est exigua beatitatis illius adumbratio, in unius Dei consideratione mens tota versatur. In hoc ipsa occupata tanta exuberantis lucis copia perfunditur ut extra se rapiatur; videat non videndo, & non intelligendo intelligat ut loquitur S.Theresia Vit. suæ cap. 18. Poterit nonnihil adjumenti ad hoc intelligendum conferre languida cæteroquin quam subjicimus comparatio. Si nobis objiceretur lux adeo magna quæ totam oculorum nostrorum vim aciemque impleret, tunc nihil aliud cerneremus nisi extraordinariam quandam claritatem. Non colores, non figuras, non motus (quæ sunt notæ quibus res discernimus) adspiceremus. Jure diceremur cæci quoad alia omnia, dum in illo lucis excessu nihil videremus præter illam claritatem. Sic & in militari barritu, vel non interrupta ignivomorum explosione bellicorum tormentorum, auribus fragore obstupefactis nec perdulces musicæ modulationes, nec suavia alloquia sonus inferret, sed solus ille confusus audiretur strepitus, ita in hoc sublimis contemplationis puncto sola divinæ illius claritatis communicatio totam replet animam, neque huic, aut illi speciali considerationi locum relinquit. Interim quod & sæpius inculcavimus, anima in hoc statu non manet iners, sed communicationem illam accipiens fervet caritate, & cœlestibus ignescit ardoribus, & in illo otio magnum peragit negotium. Hoc & non alio sensu dicimus animam hic passive se habere.

les usus, & potentiarum cursum destrui. Video hominem manere ut bestiam immemorem sine ratiocinio, sine reminiscentia. Hoc autem quis dicet? Scimus quod naturam non destruit Deus, sed perficit. At hac invecta doctrina sequitur naturæ destructio. Etenim moralium, et rationabilium oblivione mulctatur; quomodo ergo illa operabitur? Quomodo naturalia exercebit, cum nullam horum memoriam habeat? Quandoquidem indictum est ei ut formas et notitias omnes, quæ recordationis fontes sunt, deleat = JO = Ne te ista sollicitum habeant. Nihil hujusmodi metuas. Etenim quo propius Deo accedit memoria, eo minus imaginibus illis detinetur. Idque excrescit quanto amplius vicinior fit statui *unionis* de qua loquimur. Ad hunc autem evectam falsum est moralium, et naturalium oblivisci; imo majorem acquirit circa hæc perfectionem, quia tunc et memoriæ, et aliarum potentiarum operationes sunt veluti divinæ, possidente Deo sicuti ipsarum absoluto Domino potentias nostras ob earum in semetipsum revocationem. Ipse est tunc qui eas movet; ipse eas moderatur, et dirigit. Videbis tunc animas illas juste et sancte operari, quoniam Spiritus Dei eas edocet; quæcumque scire oportet aperit. In memoriam illis revocat quicquid illæ debent reminisci. Incitat ad amandum quod debent amare. Singularis enim Deo est de illis animabus cura. Et hoc significare voluit Apostolus dicens quod: *Filii Dei aguntur Spiritu Dei*. ME-

METRUM VI.

Felicitatis arcem
Istam putabo, tutam
Sedem & quietis almæ
Cum Spiritu superno
Agitur, movetur intus
Homo, volensque dextra
Regitur Dei trahentis.
Non hunc superba sæcli
Sternet procella. Lætus
Per dura quæque gressum
Hic efferet beatæ
Patriæ ad petita tecta.

PROSA VII.

TYR = Ego nunquam credam quod possit anima memoriam evacuare formis et imaginibus, quibus illa exuberat. Esset enim id naturam exuere = JO = Utique naturali modo. Illam namque ad statum de quo loquimur debet Deus attollere. Id tantum postulamus ut anima, divina opitulante gratia se ad id disponat, memineritque jure ab ea exigi ut aditum ter-

terrenis omnibus occludat; adaperiat aures suas Domino dicens. *Loquere Domine quia audit servus tuus*. Attendat qualem vult Sponsus Dilectam suam, scilicet *Hortum conclusum, fontem signatum*. Abdat se anima in cubiculo cordis sui; claudat ostium, oret cœlestem Patrem, nam ille Dominus qui januis clausis ingressus est ad Discipulos suos, eisque pacem impertivit, ingreditur ad ipsam quoque, et licet nesciat anima quomodo sit ingressus ille, nec quomodo operetur Dominus in ea; ingredietur tamen Dominus, facietque, ut loquitur Isaias descendere in eam *Fluvium pacis*, *cujus aquis eam mundabit*, *et abluet* ab omnibus (1), quæ per exteriores sensus irruerunt, sordibus; liberabit quoque eam ab omnibus perturbationibus quæ ipsam inquietabant=TYR= In his omnibus illud impense placuit quod dixisti ut anima in abdito cordis sui oret. Hoc posito cætera non moror. Etenim verebar ne ad meram inertiam illa via anima adduceretur; nihil omnino ageret; et in falsa illa quiete, quam

(1) Doctiores homines qui magnam sibi subliniorum cognitionum compararunt penum, non sunt feliciores in hujus Contemplationis assecutione. Sufficit hic simplicitas fidei. Sufficit se devote Soli isti divino sistere ut lucis, ardorisque scintillas quis in se recipiat. Cum enim supra totam naturam sit Deus, ipse solus potest se nobis cognoscendum exhibere. Nostrum tantum est fideliter audire, & attente contemplari quicquid ipse dignatur nobis manifestare.

quam tanta animarum pernicie Pseudomystici invexere, tabesceret = JO = Vah indignum probrum. Habeat se passive anima; quiete fruatur; in Domini ut ajunt sinu dormiat, semper agit, et nunquam ut inanime pondus se habet. Imo tunc jure dicet cum Sponsa: *Ego dormio, sed cor meum vigilat.*

METRUM VII.

ILle viget, medioque potens in corde triumphat
Somnia subrepens qui comitatur Amor.
Non satis est huic dum vigilas sua jura tueri,
Te quoque persequitur cum sopor altus habet.
Quid juvat optatæ substernere membra quieti?
Imperat, atque magis vividus instat Amor
Victor io, clausa irrumpit tua limina, teque
Compellat, miris sollicitatque modis.
Non tenebræ obsistunt, non mollia strata veretur;
Non parcit somno fervidus ille tuo.
Clara soporatos oculos incursat imago
Accipere, & notos reddere docta sonos.
Tunc quoque tu loqueris, tunc dulcia somnia fingis;
Et placidas noctes irrequietus agis.
Lene tamen venit admoti placide tormenti
Causa; suas urget molliter illa faces.
O placidus, suavisque veni gratissimus Ardor;
Ecce damus promtas ad tua vincla manus.
Eja age captivos. Tibi victrix laurea semper,
Splendidus & nostra clade triumphus eat.

PRO-

PROSA VIII.

TYR = Ast ut ad somnum hunc perveniat, volunt illi Mystici potentias mentis esse omnino suspensas, et inertes. Solum Deum agere in anima. Et adeo arctam intimamque esse animæ cum Deo conjunctionem illam, ut *annihiletur* Spiritus, ut ipsi loquuntur. Esse desinat, et in Deum transeat, se in Deum transformans; et tunc operationes animæ esse divinas = JO = Ne mireris. Habent singulæ artes et facultates suas proprias voces et phrases; has accipere debemus non ad communem captum et usum; sed ad naturam facultatis illius cujus sunt phrases illæ. Et Mysticis præsertim hanc datam novimus licentiam (et jure quidem quia de altissimis rebus pertractant) ut imperfectis, perfectis, contrariis, similibus, dissimilibus utantur terminis. Egregium habes exemplum in opere *De Cœlesti Hierarchia* quod Dionysii Areopagitæ nomine circumfertur. Ibi Cap. 2. Auctor sermonem habens de illa admirabili quiete, qua intellectuales substantiæ fruuntur, deficientibus propriis et aptis vocibus ad rem tantam exprimendam, cum posuisset *Furias*, *irrationabilitates*, *insensibilitates*, omnia ad modum suum intelligens, dum ad quietem qua fruuntur devenit, vocat illam

Immanem quietem; At quid magis quieti oppositum quam crudelitas? Sed egregie id; etenim ponens vocem *quietem* abstulit imperfectum illud quod vox *furia* inferebat; et dicens *crudelem*, *furiosam quietem* perfectionem et vim quietis hujus expressit. Etenim qui audit *quietem* statim concipit mente aliquid otiosi, tepidi, frigidi. Sed qui addit *quieti crudelem et furiosam*, aufert imperfectionem illam, et optima in luce collocat vim et robur quietis illius, dum vox ipsa *quies* furiosam et crudelem destruit notionem. Uno verbo; cum sive *quies*, sive *furiose* solitarie positum utrumque aliquid imperfectionis includat; illud nimirum inertiæ, hoc feritatis, fit ut cum alterum alteri adjicitur & attemperatur, utrumque sua spolietur imperfectione. Non ergo a ratione dices alienum, si ineffabilibus rebus exprimendis a consueta discedunt illi ratione loquendi. Hinc Hugo Victor. in librum de Cœlest. Hierarch. in hanc sententiam verba faciens: *Non solum*, *inquit*, *ideo dissimiles figurationes probabiles sunt*, *quod super mundialium excellentias ostendunt*, *sed ideo etiam quod nostrum animum magis quam similes figurationes a materialibus*, *et corporalibus reducunt*, *nec in se quiescere sinunt*. Sic et initio libri *De Mystica Theol.* Auctor de SS. *Trinitate* ita: *Trinitas supersubstantialis*, *et superdea*, *et superbona*. Nullus hactenus reprehendit = TYR = Indigemus novo Lexico = JO = At res ipsæ loquuntur. Dum ergo audis *Poten-*

tentias suspensas et inertes scito hoc tantum velle mysticos illos Potentias tunc non operari ex proprio, quoniam id quod accipiunt totum est infusum, et id quod intellectui tunc contingit est mera, et simplex quædam mora, et suspensa admiratio, dum se illustrari, et penetrari divina luce sinit. Et quod ad voluntatem spectat, hanc dicunt illi *annihilari*, scilicet ut non sentiat, non amet, non cupiat, non lætetur in alio nisi in solo Deo. Porro si intellectus sinit se divina luce penetrari, jam vides quod patiendo agat. Si voluntas optat, sentit, amat, lætatur in Deo, jam agit. Non ergo proprie loquendo, sed mystico illo sensu memoratæ potentiæ destruuntur.

METRUM VIII.

Vulgatum præter decurrunt Mystica morem;
Cernimus insolitas illa tenere vias,
Quid mirum nova si ac aliena vocabula poscant,
Et cupiant sensus sic aperire suos?



PROSA IX.

TYR = Hæc nimis plana et facilia videntur. Liceat Mysticos sic loqui, dummodo sic accipiantur. At magna emphasi, et indomita quadam vi crude nimis hæc et in libris exarantur, et Concionatorum voce efferuntur. Melius fortasse si utrisque interdiceretur vocibus illis = JO = Id in publica commoda non cederet, et in sublimium magistrorum dispendium vergeret, nec facile committendum ut aliorum fama, nulla justa causa in discrimen vocetur. Nec video cur locutiones illæ adeo te commotum reddere debeant. Rem paulo diligentius expende. Cum motus et actiones illæ momento temporis fiant, his anima dulci suavissimi amoris deliquio detenta sic se habet, quasi non sentiat, videturque sibi in quodam *consistentiæ*, ut Mystici loquuntur stare gradu, tunc non videtur totum illud quod transigitur *actionis* nomine exprimendum. Accedit quod cum consueto et ordinario more soleat anima ab una ad aliam transcurrere cogitationem; ab unius consideratione veritatis ad aliam laborando se attollere; impedimenta superare; ad bonum quod intendit summo conatu progredi; hæc omnia cum hinc longe absint, et cum totum singulari Dei favore infundatur, et in

sum-

summa quiete, gaudio, et pace tanta recipiantur divinæ largitatis beneficia, iccirco ad extraordinarium hunc et infusum agendi modum exprimendum, ajunt Mystici *Potentias non operari*. Sed hoc Mystico sensu accipiendum est, cum satis alias constet Intellectum, et Voluntatem non ignavos, non inertes tunc se gerere, cum illustrationes ille recipiat, hæc ferveat caritate, licet non intelligat quomodo amet. Hinc lucem accipit titulus Psalmi 55. *Victori pro Columba muta*. Nunquam enim illustrior, aut magis pius et mitis Victor est Deus, quam cum Columba obmutescit, se victam dedit, sinens ut loquatur ipsi Deus. Id etiam exprimi videtur Psal. 36. illis verbis. *Subditus esto Domino, et ora eum*. Hebraice: *Tace Domino, et ora eum*. Hoc autem quomodo fieri poterit, cum ille qui orat loqui debeat omnino? Sed satis ex dictis intelliges, et inferes illud animæ otium, negotium esse, et recte Gilbertum Bernardi discipulum dixisse quod *cum fuerimus otio redditi, tunc sentiemus acriorem morsum amoris divini. Animum cura implicat, quies explicat* Serm. I. in Cantic.



METRUM IX.

Mira quies operi vacat, & studiosa laborem,
Curasque sollers promovet.
Quo magis est operosa, hoc mollius illa quiescit,
Est otium negotium.

PROSA X.

TYR = Nolim longius contentiosum trahere funem de vocibus. Voces tandem sunt. Sed video hic de rebus ipsis, et quidem inconcussis veritatibus ingentes excitari turbas, totamque de qua hactenus egisti doctrinam in immensam animarum perniciem tendere = JO = Avertat Deus = TYR = Fingam me ad *quietis* felicissimum illum statum pervenisse. Intellectum et memoriam omnibus, ut præcepisti, imaginibus, et sensilibus formis evacuasse. Stabo in gradu hoc. Sanctorum patrocinia non requiram; quin ne turber phantasmatum incursione, illorum imagines aversabor. Missæ non adero; non me longa precum recitatione fatigabo. Cumque certus jam sim spiritu meo in Domino requiescere, nihil curabo quicquid inquinamenti in corpore meo queat concupiscentia operari. Præpositorum jussa contemnam.

Le-

Legibus humanis non tenebor ; et in hunc sensum traham illud Apostoli : *Lex justo posita non est*. Nec mirum . Si enim *in Dominum*, ut illi loquuntur, *transformatus sum*, jam in Domino vivo ; nil mihi cum terrenis omnibus commune = JO = Scilicet ? O egregium ratiocinatorem ! = TYR = Mitte jocos. Legitima et necessaria sunt hæc doctrinæ illius consectaria = JO = Non aliud tanto molimine contendimus nisi ut anima perfecte Deo adhæreat ; ut homo collocet in Domino omnes suas potentias, appetitus, operationes, et tota quanta est animæ vis in hoc ponatur, et dicat illa ad Dominum cum David : *Fortitudinem meam ad te custodiam*. Hunc in scopum collimare debent intellectus et voluntas hominis. Hos purgare intendimus ; mundos et expeditos ad Dominum dirigere satagimus. An destruemus vias quæ ad illam ducunt metam ? Age ergo patrocinia Sanctorum, imagines, Missa et quot sunt Religionis officia tendunt ne eo ? = TYR = Ergo postquam pervenimus, inutilia hæc sunt = JO = Erras si putes hæc quæ memoras non esse necessaria, etiam dum perstas in illo altissimæ Contemplationis puncto. Sunt illa veluti fulcra, quibus status ille innititur. Sed video me surdo hactenus cecinisse. In illo ipso altissimæ Contemplationis puncto illa quies, illa admiratio, suspensio illa animi conflatur ex consideratione eorum quæ fides proponit. Quomodo enim in divinæ justitiæ unico et simplici obtutu

quiesces, nisi eodem tempore muniaris consideratione effectuum illius, quos Scripturæ proponunt; et quos in variis humanarum rerum vicibus, et quotidiano usu ipse deprehendis? Exinde varii motus timoris, tremoris, admirationis, quos anima suscipit fovetque, et in illo unico divinitatis obtutu quiescit. Sic dum Christum Crucifixum contemplamur, obversantur animo ejus misericordia, bonitas, et amor in nos quæ ad tanta Filium Dei impulere; divinæ quoque justitiæ rigor talem deposcentis satisfactionem; et hæc quidem sensili modo cernuntur. Sed ex his assurgit mens ad ipsum Dominum ut in se est, et in ipso sine discursu, et peculiarium illarum considerationum animadversione quiescit. Excitantur ex hoc intuitu vividi in anima pietatis motus, quibus tota in ipsum Dominum fertur = TYR = Nullus dubio locus. Equidem dum heroica fortitudinis, patientiæ, humilitatis, caritatis exempla Sanctorum meditor; dum vivis coloribus eorum cruciatus cerno expressos; dum illos ad contemplationem, modestiamque compositos cerno, incalesco et ipse vivo ardore, similia in me peragi exoptans. Quis ego qui Sanctorum patrocinio adjuvari non indigeam? Quis salutis amans transgredietur mandata, cum Veritas ipsa edixerit: *Si vis ad vitam ingredi serva mandata?* Et quod ad concupiscentiam spectat, manebit illud ære perennius; *Nil coinquinatum intrabit in Regnum Cœlorum*. Stat illud ad omnem falsam quietem et iner-

inertiam configendam acutissimum telum : *Fides sine operibus mortua est* . Et quis otiosam mihi caritatem persuadebit, cum diligere jubeamur non *verbo et lingua*, *sed opere et veritate*; et teste Apostolo: *Caritas urget nos*
= JO = Gaudeo hæc omnia altissime cordi tuo insidere; nec minimum turbet illud quod innuisti, scilicet legem non esse positam justo; id enim significat justum lege non terreri, quia ejus pœnas nunquam incurret, quoniam legem non violabit ; sicuti dicimus non esse frugi homini positum patibulum quod ad improbos deterrendos fuit in foro collocatum . Dum autem imagines , species , et formas ab intellectu et voluntate ablegavimus non fuit mentis nostræ reddere hominem immemorem muneris sui , et efficere ut non cogitet quæ debet cogitare, vel ea refugiat quæ ipsi ut ad finem suum perveniat possint esse adjumento ; sed ut inanibus se temperet et inutilibus apprehensionibus, formis et imaginibus . Harum autem quæ utiles sunt, et fini suo conducibiles suscipiat, foveat, amplectatur; sic tamen ut in ipsis non sistat . Meminerit esse illas viam non terminum. Item posse invehi per eas errores et deceptiones ; quod tamen non est formidandum in cultu imaginum; Sanctorum adoratione ; precibus ab Ecclesia præscriptis, vel approbatis .

ME-

METRUM X.

Sanctum, decorum, nobile
Summaque clarum gloria
Est quicquid alma Ecclesia
Suis agendum filiis
Proponit. Illa ducitur
Dei movente Spiritu.
Arcana Sponsus credidit
Illi supernus maxima.
Opem suamque in secula
Promisit illi gratiam.
Ergo fidelis prædicat
Hæc quicquid ille præcipit.
In abdito hæc quod ebibit
Eructat inde propalam.
Nil suspiceris noxii.
Fluenta pura conspicis,
Accede, pota protinus;
Vitæ beata pocula
Arente fauce traxeris.

PRO-

PROSA XI.

TYR = Hoc diffiteri non possum. Errat qui in via conquiescit, cum per illam debeat ad terminum tendere. Scio divinitatem esse terminum illum. Hinc a Concionatoribus audivi ne in Christi Domini quidem humanitate esse sistendum; idque Dominum ipsum expresse significasse dum a mortuis redivivus dixit Magdalenæ: *Noli me tangere*. Et expressius dum necessariam esse suam a terra discessionem Apostolis dixit: *Nisi abiero, Paraclitus non veniet ad vos*. In quam sententiam afferebant Augustinum dicentem, Non potuisse descendere Spiritum Sanctum in Apostolos, *utpote carnali præsentiæ et sensibili solatio Christi nimis addictos* = JO = Pro dementiam intolerabilem! Est Christus via et terminus. Audi ipsum dicentem: *Ego sum via, veritas, et vita*. Est ipse A, & Ω, principium et finis. Hæc est vita æterna *ut cognoscamus Patrem, et quem misit ille Filium suum*. Habet ipse verba vitæ æternæ, et præclare Petrus: *Domine ad quem ibimus?* An sic cognoscunt Concionatores illi Jesum Christum? Videant ne ipsis ingerat Dominus quod legimus in Evangelio: *Tanto tempore vobiscum sum, et non cognovistis me? Philippe qui videt me videt et Patrem; Ego in Patre, et*

Pa-

Pater in me est. Vides Divinitatem; et edisce si adhuc dubitas ab Apostolo Coloss. 2. 9. *Quod in Christo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter*. Ne ergo dubitent Mystici illi in Christo conquiescere; ne dicant Contemplatione illa animum non evolare ad Divinitatem. Quam mirabilis, planus, et facilis ad Patrem est per Christum nobis adscensus! Si de Patre ait Christus: *Omnia tua mea sunt, et mea tua sunt, et Ego et Pater unum sumus*. Si omnia à Patre sibi tradita dixit, sicuti, quod et ipse fassus est: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum*; sic quis ibit ad Patrem nisi traxerit Filius? Intellexit hoc egregie Paulus inquiens: *Non judicavi me scire aliquid nisi Jesum Christum, et hunc Crucifixum*; et jure quia in Christo sunt *omnes thesauri Sapientiæ, et Scientiæ absconditi* Coloss. 2. et ipse Pater Æternus testimonium perhibuit Filio suo in Monte Sancto: *Hic est Filius meus dilectus in quo mihi bene complacui, ipsum audite* Mattd. 17. At non solum audiemus, sed et in eo delicias nostras conlocabimus, cum nisi per ipsum non possimus Patri placere. Hæreat Columba in foraminibus petræ, in caverna maceriæ. *Petra autem erat Christus*; & *absit nobis gloriari nisi in Cruce Domini nostri Jesu Christi*. Amplectamur vulneratum nostrum; in ipso fiduciam omnem nostram ponentes, qui sic dilexit nos ut justus pro injustis, Dominus pro ser-

servis, Filius Dei pro filiis hominum tanta pati dignatus sit = TYR =

METRUM XI.

ME me fulmina proterant,
Sævæ me accipiant feræ,
Vel flammæ penitus vorent
Ni te pectore fervido,
Ni te viribus omnibus
Mi Christe assidue petam.
Imis faucibus hæreat
Lingua; aut deficiens cadat
Si non perpetuo sonet
Illud nomen amabile.
Longa oblivia contegant,
Reddantque immemorem mei;
Totus desipiam statim,
Si mente exciderit mea
JESUS spes mea, gaudium,
Et desiderium meum.



PRO-

PROSA XII.

JO = Porro nihil te commoveant quæ a Concionatoribus audisti ; nam sensus verborum Christi ad Magdalenam : *Noli me tangere* &c. est: Ne diutius (1) in mei complexu, et pedum osculis immoreris hac vice, nondum enim adscendi h. e. non decrevi tam cito ascendere in Cœlum. Quasi dicat ; Sat sæpe, sat diu licebit adhuc me post hoc complecti ; nunc vade, et lætum Resurrectionis meæ nuncium defer fratribus h. e. Discipulis meis. Jam vero quæ de Christi discessu, et Spiritus S. adventu afferebantur nihil prorsus evincunt. Nosti et tres SS. Trinitatis personas esse illas quæ cum de homine condendo agebatur inducuntur in Scripturis dicentes: *Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram.* Admirare summam et ineffabilem tanti operis œconomiam. Pater Æternus sic dilexit Mundum ut Filium suum daret. Misit ergo Pater Filium. Venit Filius propter nos homines et propter nostram salutem. Consummationem operis, seu sanctificationem nostram Spiritui S. reservavit. Hæc omnia tunc adhuc carnales Apostoli non intelligebant. Nihil in Evangeliis frequentius inculcatum. Testantur iidem Sa-

(1) Ita Vatabulus, Suaresius, Tirinus et alii apud ipsos.

Sacri Scriptores imperitiam, ignorantiam, et mentis hebetudinem Apostolorum tunc temporis; et Christus ipse: *Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo*. Exprobravit quoque illis Marci ultim. *incredulitatem, & duritiam cordis*; et Emmauntinos discipulos ut *stultos & tardos corde* arguit. Sed quid plura? Nondum enim Spiritum qui docet scientiam receperant. Plana ipsa, et cujusvis captui accommodata, his invia et impervia videbantur. Exsuperat omnem fidem quod narrat Lucas Cap. 18. Ibi sic duodecim Apostolos alloquitur Dominus: *Ecce ascendimus Hierosolymam, & consummabantur omnia quæ scripta sunt per Prophetas de Filio hominis. Tradetur enim Gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur. Et postquam flagellaverint occident eum, & tertia die resurget*. Potuit ne apertius et clarius aliquid enunciari? Quis non intellexisset? Et tamen subdit Evangelista: *Et ipsi nihil horum intellexerunt, et erat verbum istud absconditum ab eis, et non intelligebant quæ dicebantur*. Hi ergo Cœlestium, et Supernaturalium rudes et ignari nonnisi humana meditabantur. Nihil de admirabili Redemptionis opere; de Christi trophæo; de Ecclesiæ constructione, et toto illo pietatis Sacramento cogitantes, delectabantur de humana Christi præsentia, nec ad altiora assurgebant; hinc omnino necesse fuit ut discederet Christus, Spiritum S. ad Patris mandatum missurus. *Paraclitus quem mit-*

mittet Pater in nomine meo. Hæc et non alia Augustini mens. Jam vero quid hæc dictis incommodant, cum clarissime nunc Spiritu S. docente intellexerit Ecclesia quis et qualis sit Christus Dominus? Nunc cum carnalium omnium infirmitate cessante cogitationum, Christum Crucifixum *Os* et *Verbum* Patris Æterni suspicimus, vitæ et gloriæ nostræ auctorem colimus. In quo divinitatis fulgore irradiati, et Patrem, et Spiritum S. agnoscimus. Cum quo omnium sumus bonorum participes. Sine quo, nihil omnino boni, sed omnia mala nos invenient. Tenes ne? sunt hæc satis expressa? = TYR = Sunt. Et mihi irascor qui mea perfidia ad hæc hactenus non attendi, et omnia amantissimi Domini mei de mea salute consilia sum proterve frustratus. *Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum, et plorabo die ac nocte.* Jerem:9.

METRUM XII.

E Rupe dura limpidus exiit
Si fons aquarum divite copia
Ad Moysis virgam, stupensque
Hinc populus bibit ore pleno,
Eccur & istud cor mihi denegat
Vim lacrymarum, flebilis atraque
Cum parte ab omni sit mearum
Conditio miseranda rerum?

Heu

Heu hoc profecto rupibus asperis,
Saxoque quovis non penetrabili,
Quin & recoctis obstinatum
Durius obriguit metallis.
Hoc nulla tangunt deterioribus
Visenda formis tristia quælibet
Tormenta, quæ vindex severus
In reprobos Dominus paravit.
Non fulminantis desuper adspicit
Cœli furorem; non videt inferis
Vel quanta ab oris se ruina
Præcipiti moveat fragore.
Averte quæso tam lacrymabilem
Hanc cæcitatem Rector, & effice
Me flere quicquid per tot annos
Stultus ego in tua jussa feci.

PROSA XIII.

TYR = Sed redeamus in viam a qua jamdiu excessimus. = JO = Et hoc ipse jam meditabar, nec incæptorum sum oblitus. *Voluntatem* (de intellectu jam satis) omnibus inordinatis affectionibus suis emundare debemus, illamque puram expeditamque ad Deum afferre, ut *unioni* illi de qua dicebam, non præstet se ineptam. Est posita animæ vis in suis potentiis, affectionibus, et appetitibus; hæc omnia regit et moderatur voluntas. Jure dicet

ipsa Domino cum David: *Fortitudinem meam ad te custodiam*; cum dirigit ad Dominum illas, et caute et diligenter eas avertit, ab omnibus quæ ad Deum non referuntur; tunc vere, ex omnibus viribus Deum amabit illa. Profecto ex inordinatis affectibus omnis in animam importatur pernicies = TYR = Vel cæco id patet = JO = Patet quoque quatuor esse affectus illos scilicet Gaudium, Timorem, Spem, Dolorem. Hinc Boetius noster.

Gaudia pelle;
Pelle Timorem;
Spemque fugato;
Nec Dolor adsit
Nubila mens est,
Vinctaque frenis
Hæc ubi regnant.

HOs si bene componemus; rectum et justum illis ad Deum dabimus cursum, efficientes ut nullum in se animus suscipiat *Gaudium* nisi de eo quod Dei gloriam respicit, nil hanc præter *Speret*, nunquam *Doleat* nisi cum divino honori cernit per impios injuriam irrogari; nec alium nisi Deum *Timeat*, jam totum evicimus, et fortitudinem nostram ad Deum custodiemus = TYR = Nullus dubito quod quo magis animus aliqua re oblectatur, eo magis voluptatem suam a Domino retrahit; quanto magis in alio confidit, eo minus sperat in Domino, et sic de aliis affectionibus = JO = Et acrius et ferocius quatuor illæ affectiones pugnant in animam, quanto minus voluntas est

est firma in Domino, et magis ad creata proclivis; tunc enim facile exilit gaudio, et lætatur in his quæ lætitiam non afferunt; trepidat ubi nullus justus ingruit metus, vertit in luctum quæ illi deberent hilaritatem conciliare, et futili conatu confidit in arundineo baculo et confracto. Sed quod magis advertendum, eo sunt inter se quatuor illæ Affectiones fœdere junctæ, ut ubi una obtinet, eo et aliæ confluant, et si langueat illa vel cadat, languescere pariter et cadere alias necesse sit. Harum ergo uni si locum des, jam ad te perdendum aliæ omnes venient.

METRUM XIII.

Horrendum turba capitum nisi forte Draconem
Quem genuit Lernæa palus grave olentibus undis
Fulminea Alcidis contritum clava dedisset
Extinctum penitus, perfecta & clade peremptum,
Herculeæ nullæ laudes, & nulla timentis
Utilitas populi, nam eadem discrimina prorsus
Mansissent; furerent iterum septenaque monstra.
Tu quoque ni quævis sit ab omni parte subacta
In te affectio succumbes, frustraque laborem
Suscipies stultus; quid enim domuisse juvabit
Unam, aut ingentes nisus fregisse duarum?
Gratia nulla tibi & si tres deviceris; Omnes
Vincendæ; horrendum bellum namque una relicta

Integrat, & socias revocat, mora nulla, Sorores.
Sex capita abstuleris si Hydræ non proficis hilum;
Septem habet, & septem sunt abscindenda securi;
Non alias poteris tutus, vel victor haberi.

PROSA XIV.

TYR = Doleo miserrimam hominum vicem. Video quam ardua indicuntur. Ergone nil gustabit? Oblectamenta omnia pellentur? = JO = Ne turberis. Non interdicitur tibi omni gaudio, sed tantum illo quod in Dei gloriam non tendit. Gaude et exulta, et delectare in Domino; hoc verum et solidum est Gaudium. Si ab hoc fine aberrantia se tibi ingerant Gaudia tunc vir esto. Eja dic tibi cum Habacuc; *Super custodiam meam stabo, et figam gradum super munitionem, et contemplabor quid dicatur mihi*. Et quid dicunt tibi sordidæ voluptates, nisi ut in æternum pereas? Sed his nullus hic locus. Terrena bona magnum sunt vitiorum illicium; hinc Sapiens Eccl. II. *Fili si dives fueris non eris immunis a delicto*. Scilicet quia imbecille cor hominis facile illis adhæret, clament licet Scripturæ: *Divitiæ si affluant nolite cor apponere*. Et luculentissima sunt Christi verba. *Si vis perfectus esse &c.* Sed ne in longum abeamus, moneo in omni bonorum ge-

genere vanitatem esse lætari in his quæ Dei gloriam non respiciunt; Christianum voluptati suæ minime indulgere debere. Se nihil omnino ille existimet, licet ingentibus et peculiaribus gratiis sit ille divino munere cumulatus. Et quoniam tunc elatio, inanis gloria, et superbia irruere solent, in id nervos omnes intendat ut hac labe non tangatur. Quid enim aliud mystica illa visione in Apocal. innuitur ubi exhibetur prostituta Babylonica sedens bestiæ habenti capita septem, et cornua decem, auratum Calicem manu tenens, et *inebriati sunt qui habitant terram de vino prostitutionis ejus, et cum ipsa fornicati sunt Reges Terræ.* Apocal. 17. nisi spiritus ille Superbiæ? Et vide vim veneni illius dum Reges Terræ eo inebriati dicuntur h. e. gradu, virtute, et decore insignes pestem illam non effugiunt, et inclytum ipsum Sacerdotium non est immune. Ne capiamur ergo phaleris, et fulgore inanis illius pompæ, quæ ad modicum videtur superbiam comitari. Et hic mysticus est sensus loci illius Proverb. 31. *Ne intuearis vinum quando flavescit, cum splenduerit in vitro, color ejus ingreditur blande, sed in novissimo mordebit ut Coluber, et sicut Regulus venena diffundet.*

METRUM XIV.

NE te languidulum æstuosioris
Invadat popularis aura plausus;
Non segnis fuge quicquid insusurrat
Laudum arrecta cupido, nec requiras
Vulgi non stabilis sonos inanes,
Rumoresque vagos. Satis misellus,
Et dignus lacrymis satis vir ille est
Tenet quem hoc studium inficetiarum,
Et has tam stolidus cupit, fovetque
Burras, quisquilias, ineptiasque.

PROSA XV.

TYR = Arduum profecto negotium. Ipsos doctrina et sanctitate conspicuos homines vidi hoc morbo implicitos = JO = Quid mirum? Expende Discipulos LXXII. quos Luc.X. misit Dominus binos ante faciem suam in omnem civitatem et locum quo erat ipse venturus. Vers. 17. Reversi sunt 72. cum gaudio dicentes: *Domine etiam Dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo*. Suspicari hic aliquid vani cogit responsio Christi: *Videbam Satanam si-*

sicut fulgur de cœlo cadentem. Quid enim hæc bonus Magister ingereret, si fuissent illi omnino hujus fumi expertes? Sed et medicina quam illis adhibet in verbis sequentibus nullum dubitationi locum relinquit: *Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, et scorpiones; veruntamen in hoc nolite gaudere . . . gaudete quod nomina vestra scripta sunt in Cœlis*. = TYR = O præclaram præceptionem! = JO = Sed et admiratione longe dignius quod habetur Matth. 7. ubi Christus sic: *Multi dicent mihi in illa die: Domine Domine nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo Dæmonia ejecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis: Quia nunquam novi vos; discedite a me qui operamini iniquitatem* = TYR = Ergo ne tantum in illa elatione, inani gloria, et, ut cum Scoto loquar, in illa *luxuria Spirituali* detrimenti? = JO = Ille vere prudenter agit qui non solum abscondit aliis, sed et sibimetipsi opus suum bonum; dum enim celat alios de suo opere bono illicium gloriæ vanæ, effugit; dum sibimetipsi illud abscondit, se ab ab omni fastu, et superbiæ tumore præservat; et sic intelligitur illud Christi Domini: *Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua* Matth. 6. Scilicet noli carnali oculo bonum Spirituale, quod agis contemplari. Et profecto tunc vere ad Dominum voluntas convertitur, tunc pretiosum est opus illud; alias non solum nihil exinde lu-

cri, et meriti reportabit homo, sed multum damni et inquinamenti in se derivabit. Et in hanc sententiam accipienda sunt verba Job. Cap. 2. *Si lætatum est in abscondito cor meum, et osculatus sum manum meam ore meo, est iniquitas maxima* = TYR = Quid ergo hi se inani labore fatigant? Nonne maximæ dementiæ *est laborare ut non proficias, imo ut te ipsum perdas?*

METRUM XV.

Ter stultus qui quærit damna laboribus ultro,
Sævaque suscepto probra labore capit.
Sordidus est, turpis, vesanus, iniquus, acerbus
Qui dare scit tantum tristia damna labor.

PROSA XVI.


JO = Seipsos hi perdunt, et sensim in certam ruunt perniciem; dum enim voluptatem suam in illis bonis quærunt operibus, hanc dum non inveniunt (subtrahit enim illam Deus) miro conglaciant torpore, seque a bonis illis actibus retrahunt, et corde confracti progredi non audent; et de his dicere videtur Sa-

Salomon Eccl. X. *Muscæ morientes perdunt suavitatem unguenti*. = TYR = Et cur suavitatem illam subtrahit Deus? Cur illos in deliciis pascere non pergit? = JO = Ergo semper ut parvulis lac illis præbebit? Solidiori cibo in æternum privabit? = TYR = Teneo = JO = Subeunt longa Spiritualium operum tædia; quandoquidem quo plus se quam Deum in illis operibus quæsierunt, justum est ut pœnæ ergo densis subdantur tenebris, depravatoque judicio omnia in quibus voluptatem illam non sentiunt, aversentur. Et hoc fortasse significavit Michæas Cap. 7. et de his locutus est dum dixit: *Malum manuum suarum dicunt bonum*. Scilicet quod illi maximi ducunt opera spiritualia in quibus voluptatem inveniunt, despiciunt autem illa quæ nullo sunt ipsis oblectamento = TYR = Si res sic se habet, juratus (et non perfidum dicam sacramentum) affirmabo nimis raros inveniri homines, qui unice propter Deum operantur bonum, nullum prorsus internæ voluptatis et lætitiæ sensum quærentes, imo generose, et constanter hujusmodi repellentes illicia. At quantum incommoda illa vitæ ratio! Tolle omnem prorsus voluptatem, in quas conjicies hominem angustias! Quanta desolatione obrues? Sane ea est conditionis nostræ natura ut voluptate trahatur; hanc si omnino remotam velis vel hominem necabis, vel vitam etiam morte ipsa ei reddes amariorem; si virtutem quam

quam nulla sequantur præmia ostendes, deplumatum Pavonem mihi videndum exhibebis.

METRUM XVI.

Quisnam sponte laboribus
Sese subjiciet, dulcia demseris
Illis si sua præmia?
Qui mercede caret divite futilis
Est prorsus labor; irrita
Hunc & subsequitur gloria; languido
Tunc virtus graditur pede.
Ut ventus positas conglaciat nives,
Desperatio torpidam
Virtutem penitus reddit, & igneas
Alas illius abripit.
Vultu pallidulo tabet, & ingemit,
Et mutat clamydem suam
Hæc, si conspicuis cernit honoribus
Cultores vacuos suos;
Hi tunc fracto etiam pectore concident.



PRO-

PROSA XVII.

JO = Hoc quod tu maledictum vehemens existimas, non est nisi egregium divini favoris argumentum. Quam bene tunc ad Deum afficitur anima! Ingreditur in obscuram illam contemplationem, pœnarum et angorum plenissimam licet, at maxime necessariam, ut ad optatissimam illam lucem perveniat, summumque felicitatis statum in quo illius divinæ a Mysticis memoratæ *Unionis*, compos fiat. Id si quæ supra innui expenderes, nullo docente facile intelligeres = TYR = Quas canis ambages? Per asperum semper iter duxisti. Vim passa est ratio mea; et nunc majoribus involvis nebulis. Quid obscura illa Contemplatio? Deus lux est. Quid pœnas, et angores commemoras, cum nos delectari in Domino jubeant Scripturæ? Lætitiam, suavitatem, jucunditatem eorum qui Domino serviunt, frequentissime proponant? = JO = En bellum hominem qui ad magna præmia per nullos labores vult pervenire; egregium bellatorem qui victoria et coronis, sine tamen pugna, velit potiri. Plane dormienti tibi tot bona congerentur in sinu. Placet? Visne veterem hominem exuere? Scis Regnum Dei vim pati? Sordibus fœdatum animum nullus excoquet purgans

gans ignis ? = TYR = Est id omnino necesse = JO = Et id obscurus ille Contemplationis status mirifice præstat; neque ego alio consilio luculentissime tibi demonstravi intellectum, et voluntatem omnibus imaginibus spolianda: evacuandas omnibus speciebus, et formis potentias; vacuum omnino animum afferendum ad Deum, nisi ut te paratum haberem cum hæc essent proponenda. Sane divina sunt hæc quæ tractamus. Oportet ut Deus invadat vi aliqua animam illam, ut ferocientem et appetitibus implicitam perdomet, et explicet = TYR = Id pergratum. Quid enim jucundius quam sub manu amantis Domini mei me collocari? Crucis Christi sectatorem fieri?

METRUM XVII.

ATro dolorum turbine,
Cunctisque pœnis obruar;
Severa, dura, tristia
Me persequantur omnia,
Me sic agentem dummodo
Crux alma Christi contegat.
Umbra sub ista molliter
Claudam sopori lumina,
Hic non timebo languidus
Ferocientes hostium

Prius

Prius molestos impetus,
Et pace tuta perfruar.
Quin hic benigna, blandaque
Tormenta quævis dixero;
Gaudere dicam perpeti;
Subdi flagellis; accipi,
Scindi, vorari, pertrahi
Erit voluptas maxima.

PROSA XVIII.

JO = Sed tristatur anima; videtur sibi omnino derelicta, et omnibus miseriis tradita; mortem eligeret. Hoc expertus Job clamabat 23. *Nolo multa fortitudine contendat mecum, ne magnitudinis suæ mole me premat.* Pauperem, nudam, orbatam sentit tunc se anima. Quantus mœror! Exulant (inquiunt Mystici) ab ea tria genera bonorum quæ illam recreare sunt apta, scilicet *Temporalia*, *Naturalia*, *Spiritualia*, cernit se in contrariis positam malis, scilicet miseriis imperfectionum, ariditatibus; et potentiis vacuis, et Spiritus derelictioni ingemiscit. Etenim cum Deus purgat animam in substantia *sensitiva* et spirituali; in potentiis interioribus, et exterioribus, necesse est ut ponatur illa in pauperie, et vacuitate omnium harum partium, et inanis, et arida in tenebris tabescat. Id præstat Deus per

per hanc obscuram Contemplationem, in qua anima non solum naturalibus his nudatur fulcris, acriterque hac via torquetur, sed etiam intrinsece purificatur, et quodammodo destruitur, donec radicitus evellantur inolitæ cunctæ affectiones, et habitus imperfecti, quibus illa scatet. Exhibe phantasiæ tuæ, si hoc vis intelligere, metallum conflandum in ignem injectum, et sic assequeris sensum verborum Ezecchiel. 24. *Congere ossa quæ igne succendam; consumentur carnes, et coquetur universa compositio, et ossa tabescent.* Hic adumbratum cernis qua pœna divexetur anima in illa vacuitate et paupertate, et additur statim: *Pone quoque eam super prunas vacuam ut incalescat, et liquefiat æs ejus, et confletur in medio ejus inquinamentum ejus, et consumetur rubigo ejus.* His exprimitur immanis animæ cruciatus quo transfigitur illa in purificatione ignis hujus Contemplationis. Id et voluit David dicens: Psal.68. *Salvum me fac Deus* &c. *dum spero in Deum.* Frequentissimam habes in Scripturis SS. Virorum querimonias, ejulationes, doloris plenissimas voces id ipsum ingemiscentium. Commotus sum mirum in modum audiens Jeremiam in Threnis: *Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis ejus. Me minavit et adduxit in tenebras, et non in lucem* . . . . Discrucior dum repeto; libera me hoc angore; consule ipse totum textum usque ad illa verba: *Recordare paupertatis, et transgressionis meæ,* ab-

absynthii et fellis. Memoria memor ero, et tabescet in me anima mea.

METRUM XVIII.

SÆvis excoquit ignibus
Ad Patriam quos dirigit
Rector inclytus omnium,
Arctoque claudit carcere
Donec sordibus eluat
Illos suorum criminum.
Justum est hanc ad imaginem
Ut formet almus Conditor
Hic quoscumque parat sibi
Beata sorte jungere;
Illos mirificis modis
Purget, perurat, obruat
Sævis usque doloribus.
O vim dolorum maximam,
Pœnarum horribilem statum,
Novæ rigores indolis!

PRO-

PROSA XIX.

TYR = Tu me ad insaniam adigis. In quam tyrannidem incidimus? Hæccine via Domini patris amantissimi? Nil commoveor ejulatibus Sanctorum quos innuisti Virorum; alio ex fonte lacrymæ illæ profluebant. Periclitabantur vita, fortunis, pace; hujusmodi vexabantur calamitatibus, non hoc quod fingis dolebant = JO = Imo et hoc dolebant; an alias eos sic abjecto, et vili animo fuisse suspicaberis ut illas ob calamitates, in femineas, et viro indignas collacrymationes, et questus illos effunderentur. Et scis quid per hæc intendit Deus? Miseret me tui. Cum carnali judæo mihi res esse videtur. Cerne bona quæ exinde oriuntur. *Deus revelat profunda de tenebris, et producit in lucem umbram mortis* Jobi XII. Erit animæ illius lux sicuti ejus fuerunt tenebræ: *Sicut tenebræ ejus ita et lumen ejus* Psal. 138. = TYR = Desine. Mihi hic illudi non patiar. Vis ne ut desiderem hic summam Domini mei clementiam? Si spirituales illæ motiones et voluptates summo sunt animæ incitamento ad proficiendum, et ad perfectionis statum assequendum; si animam virtutibus implent, muniunt, hilarem faciunt et tutam; si exinde spirituales acuuntur ap-

appetitus, vegetantur potentiæ, omnia intima reflorescunt, exultant ossa humiliata, dilatatur cor; ut quid inverso ordine defluent cuncta? Ariditate conflictabimur, vacuitatem illam appetemus? = JO = Ni te plus oculis meis amarem Tyro, tragica scena fabulam clauderem, teque desererem. Ne præceps in judicium feraris; ne dictatorio more decernas. Audi, et summam Dei clementiam, cui ne desis vereris, admirare. Anima de qua loquimur habet potentias languidas, appetitus viles, imos, et impuros. Si his sapor, et voluptas etiam spiritualium bonorum daretur, non posset saporem illum et voluptatem nisi languide, impure, et misere recipere. Scis ne vulgi ore tritum axioma quod: *quicquid recipitur ad modum recipientis recipitur*? Cum ergo hæ potentiæ naturales non habeant puritatem illam, nec virtutem quæ par sit gustandis supernaturalibus rebus ad altissimum modum qui decet ipsas res spirituales, sed tantum sint aptæ ad gustandum illas modo imperfecto, et impuro, et languido juxta propriam conditionem, hinc omnino necesse ut naturales illæ potentiæ evacuentur, in nihilum redigantur (scilicet modo supra exposito) ut purificentur, innoventur, et aptæ ad tantum bonum reddantur. Hoc autem quomodo fieri poterit nisi vetus homo destruatur; nisi omnes illæ potentiæ temperentur, disponantur, parentur ad excelsa de quibus loquimur? Scis quod omne donum communicetur desuper a

Patre luminum; divine excipi debet quod divinitus communicatur. Nisi ergo hoc quod diximus fiat, licet quantumvis appetitus se exerceat, et acuat, et gustare conetur suavitates illas, nunquam scopum attinget, nec divino modo ad illas se habebit. Hinc fit ut plerique homines, quorum potentiæ naturales exuberant suavitatibus, affectionibus, et operationibus circa Deum, et res spirituales, in his immorantur, his delectantur; insigniter decipiantur judicantes motus illos esse supernaturales cum illi naturales sint. Facile quoque contingit quod sicuti habent pronitates illas mere humanas circa res delectabiles, et bonas quæ nil ad spiritum pertinent, sic eadem pronitate ferantur ad se de rebus illis spiritualibus delectandum = TYR = Novæ ambages. Quis et quibus notis dignoscet an motus illi sint naturales, vel supernaturales?

METRUM XIX.

Vim patitur, mediisque furens exæstuat undis
Hæret qui dubius, consilioque caret,
Hic Animum celerem, nunc huc, nunc dividit illuc,
Omnia formidat nescius ipse sui.

PRO-

PROSA XX.

JO = Hoc uno quod proponebam indicio; scilicet ut interiores motus tunc a Deo profectos, et supernaturales existimemus, cum cernimus illos quoad essentiam suam naturalem obscuratos, quietos, sopitos, omni vivacitate destitutos, viribus cassos. = TYR = Incertior sum quam ante = JO = Conabor ut rem teneas. Cum anima quæ ad perfectionem adspirat cernit in se obscuratum, retusum, hebetem factum appetitum suum, suas potentias ad angustias redactas, opus est ut tunc secum statuat: Esse id insigne divinæ in se caritatis pignus = TYR = Et quomodo? = JO = Quia tunc Deus suscipit e manu Animæ (liceat sic loqui, et sermonem, modo capias, demittere) illas facultates; liberat quodammodo animam ab ipsa anima, et ipse Deus animam manu ducit, et per obscuras semitas, ut cæcam, regit. Age ergo possetne anima sic tuta incedere, posset adeo bene facultatibus suis uti, illasque moderari ut illas Deus moderatur? Licet egregie se præstaret anima, nunquam tamen ad perfectionem illam ad quam Deus eam adducit, deveniret. Ne mireris animam id non sentientem affligi, et mirum in modum divexari. Abducitur enim

a consueta agendi ratione; novum et prorsus incognitum instituit iter; et quia quod gustabat evanuit, aufugit vigor, non amplius eam fovet delectationis illicium illud, jam mœrore corripitur, bonorum jacturam se fecisse arbitratur, tabescit, dolet, ingemit. Animadvertet postea se tunc in expeditam, regiamque viam dedisse, tunc felicitatis suæ jacta fuisse fundamenta, et cum Rege Psalte clamabit ad Dominum: *Lætati sumus pro diebus quibus nos humiliasti, annis quibus vidimus mala.* Sed debuere omnino angores, et cruciatus illi præcedere, ut scilicet per *Passionem* Christo copuletur. O admirabilem Crucis Domini vim! Quo feliciter devenit, et qua tuta et compendiaria via qui per dolorum Christi imitationem, et communicationem ingreditur!

METRUM XX.

Salve beata semita
Quæ purpurata vivido
Christi coruscans Sanguine
Ad Patriam nos dirigis.
Jucunda, mitis, blandaque,
Et delicata, molliter
Tu nos per atra, & devia
Cæcos labantes excipe.

Cæ

In te refulget perpetim
Sidus supernæ gloriæ;
In te perenni robore
Gressus viator instruit.
O ter, quaterque, & amplius
Beatus ille corripit
Qui te, tuoque fervidus
Incedit almo tramite.

PROSA XXI.

TYR = Istud mirifice placet, do manus; pœnitet eorum quæ dixi; at poteras initio præmonere = JO = Accedit et illud huic animæ eximium bonum, scilicet quod Dominus iccirco arcet ab ea omnes appetitus, et delectationes ut illam sibi arctius jungat; et liberam penitus reddat ab omnibus quæ Dei non sunt. Sicuti Medici cibo interdicunt ægroto, et eum diutius jejunum detinent, ut scilicet longa illa abstinentia, et depravatus ejus palatus, et languens stomachus in ordinem redigantur, sic optimo consilio anima in illa fame spirituali exercetur, et removentur cibi qui infirmis ejus appetitibus consoni videbantur, ut apta exquisitissimis reddatur dapibus, quas Dei conjunctio ad quam ducitur, præparat. Et quod mireris, omnes hujus animæ cruciatus, ærumnæ, pœnæ, angores sunt evi-

dentissimum argumentum securitatis ipsius, et liquido demonstrant quod Dominus eam custodit, et in manibus suis portat; et quo propius Deo tunc anima accedit, eo densioribus se tenebris premi sentit, majorique obscuritate involvi, quod ex ejus imbecillitate contingit; quemadmodum quo proximius ad Solem accederet homo, majora lucis dispendia, propter oculorum imbecillitatem pateretur. Cogita immensam esse lucis divinæ magnitudinem. Expende quæ supra quoque monuimus ex Psal. 17. ubi dicitur quod *Deus posuit tenebras latibulum suum* &c. Hæc *tenebrosa aqua in nubibus aeris* est obscura Contemplatio, est Sapientia divina in anima. Hanc cum Deus ad se trahere incipit, illico ipsa incipit sentire obscuritatem, quæ circuitum Tabernaculi ejus obumbrat; et sic quod est Lux, et maxime micans Claritas in Deo, id in homine est nebula, nox, et tenebræ. Et hoc ibidem statim exprimit Psalmus. *Præ fulgore in conspectu ejus nubes transierunt.* Exprimitur hic obnubilatus intellectus naturalis, cujus *lux* ut ait Isaias cap. V. *obtenebrata est in caligine ejus.* = TYR = Sero tandem sentio miserrimam esse vitæ nostræ conditionem, ubi tanta cum difficultate veritas agnoscitur, quoniam id quod est clarius et certius, id nobis et magis obscurum, et incertius apparet, iccirco ab eo longius avolamus, et tamen illud mirifice prodest; ex adverso impotenti amore persequimur, et sectamur, appetimus, et optamus

mus id quod falsa luce oculos nostros implet, et nos ad perniciem impellit. Ergone ipsum oculorum meorum naturale lumen quod me ducit et regit, ipsum est quod me decipit, et excæcat, et a via quæ ad Deum adducit, avertit? = JO = Ita prorsus.

METRUM XXI.

Quæ prodesse putas, cernes hæc sæpe nocere;
Sæpius, & prosunt quæ nocitura putas.
Scilicet hoc homini deerat nesciret ut ipse
Quid prodesse queat, quidve nocere sibi.

PROSA XXII.

Bene habet. Ad scopum te dirigere incipis. Non videbitur amplius misera anima quæ in aqua illa tenebrosa absconditur, quia sicuti aqua illa Tabernaculum, et habitationem Deo præstat, sic erit et animæ ipsi Tabernaculo et habitationi. Ibi et a seipsa et ab omnibus creatis rebus tuta et libera consistet; quod significare videntur illa verba Psalmi 30. *Abscondes eos in abscondito faciei tuæ a conturbatione hominum; proteges eos in Ta-*

bernaculo tuo a contradictione linguarum. Vides hic protectionem, et auxilium validissimum. Sed quod non mediocri erit tibi solatio, id advertas velim tenebrosam illam aquam de qua hactenus locutus sum, licet tenebrosa sit, esse tamen aquam, et aquæ est lavare, et reficere, idque egregie illa præstabit, licet in abscondito, et cum tui labore et dolore. Hac aqua anima perfusa sentit in se constantem et firmam a peccati sorde aversionem; optat fidelis inveniri in sancto Dei servitio; mirifice commovetur ad præteritæ vitæ deflenda piacula, quia cum omnes ejus potentiæ jam ab aliis occupationibus se abstraxerint, huc omnes animæ conatus confluunt; hic omnes illius vires collectæ consistunt. Hac via feliciter a seipsa expedita anima, et ab omnibus creatis rebus soluta, celeri gradu ad perdulcem illam *Unionem* divini Amoris defertur.

METRUM XXII.

ATtonitam nova quæ pertentant gaudia mentem!
Quænam voluptas, quantaque
Cum fini propiora suo se cernit habere,
Deoque fieri proximam!
Illa quidem fonti sitientia labra beato
Mox admovere cogitans,

Lætitia exultat, cunctasque pererrat amico
Dapes paratas lumine;
Ingentem exacuitque famem sponte ipsa sitimque
Vult acriorem reddere,
Plena Deo quoniam sit, jam mora nulla, futura
Votique compos unici.

PROSA XXIII.

TYR = Profecto non fallor. Adspicio hic Mysticorum sermone vulgatissimam scalam = JO = Non falleris. Jure secreta hæc contemplatio *Scala* vocatur, quia per illam pervenit anima ad cœlestes thesauros. Exprimitur id præclare in Psal. 83. *Beatus est vir cujus est auxilium abs te; ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarum in loco quem posuit. Etenim benedictionem dabit legislator; ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Sion.* Per hujus scalæ gradus non solum ascendit, sed et descendit anima, quia hæc secreta contemplatio easdem communicationes quas immittit animæ, et quibus illam ad Deum elevat, vertit ad humiliationem ipsius animæ. Etenim quæ a Deo sunt communicationes eodem impetu elevant, et deprimunt animam, cum in hoc statu (o vim S. Christianæ humilitatis!) deprimi sit idem ac elevari, et elevari idem ac deprimi. Hinc Christus Matth. 22.

Qui

Qui se exaltaverit humiliabitur, et qui se humiliaverit exaltabitur. Cum ergo in tanta celsitudine posita sit S. Christiana humilitas, Dominus ut animam in ea exerceat ducit illam ad hanc scalam, facitque per eam adscendere, et descendere; sed certum est quod non descendit nisi ut superius adscendat. Hoc Sapiens velle videtur Prov. 18. illis verbis. *Antequam conteratur, exaltatur cor hominis, et antequam glorificetur humiliatur.* = T. = Multas necesse est vicissitudines subeat anima in hac Scala; modo prosperitate fruetur, modo tempestas prosperitatem turbabit, nunc ad excelsa sibi videbitur pervenisse, et nunc se ad ima ingemiscet delapsam = JO = Hic est ordinarius contemplationis mos. Quousque ad *Quietis* statum anima non deveniet, semper his conflictabitur angustiis, et vicissitudinibus; ascendet et descendet. In summitate scalæ sedet Deus. Ad illam perveniens anima, Deo potietur, *quiete* fruetur. Veniat in mentem Scala quam dormiens Jacob vidit. *Nox erat*; adspice tenebras; *dormiebat Jacob*. En indormiscentes animæ potentias. In summitate erat Deus innixus Scalæ = TYR = Placet mirum in modum = JO = Egregie hæc prosequitur magnus Dei famulus Jo: Climacus in laudatissimo opere, cui inscriptio *Scala* = T. = Edissere quot in illa Scala sunt Caritatis gradus = J. = Decem agnoscunt Mysticæ magistri. Horum *Primus* est salutaris et vivifica *Infirmitas*, seu *Languor* animæ

quo

quo illa deficit peccato, et omnibus rebus quæ non sunt Deus. Et hoc significavit S. David illis verbis: *Defecit in salutare tuum anima mea*. Psal. 118. Hoc invecto languore in animam, tædium, fastidiumque concipit illa omnium quæ apud cæcos mortales plurimi sunt. Omnia præter Deum fastidit. In uno Deo moratur. Hunc avidissime exquirit. Sordent illi omnes terræ deliciæ. Nihil his magis odiosum et amarum. Languet igitur non amor, sed animus. Vides hoc in Canticorum Dilecta: *Adjuro vos filiæ Jerusalem, si inveneritis Dilectum meum, ut nuntietis ei quia amore langueo*. Cap. V. 8.

METRUM XXIII.

Dilecta Sponso turba, Sioniæ
Castæ puellæ, quæ pede libero
Per liliorum, per rosarum
Pergitis innocuos recessus;
Sic vestra verset candida pectora
Sponsi fidelis cura; beatius
Vobisque soles sic recurrant,
Virgineum decus & perennet;
Vos oro supplex: forte per hortulum
Si deambulantem videritis meum
Dilectum; amores huic, measque
Sollicitas memorate curas.

Heu

Heu me dolentem! meque miserrimam!
Ut cera flammis tradita diffluit,
Amittit & notam figuram,
Sic ego deficio relicta.
Plagas, timores, furtaque nesciat
Illata; tantum noverit ardeo
Quod tota amore, ipsumque solum
Perdita discupio, & requiro.
Princeps polorum lampade fervida
Qui cuncta lustras, pulchrior omnium
Pulcherrimorum quot supremi
Sol operum Domini videmus.
Te cum Tonantis sis thronus obsecro
Illi ut mearum sollicitudinum
Denuncies æstus, amarum
Atque meum memores dolorem.
Et tu meorum conscia vulnerum,
Interpres ægræ mentis, & omnium
Suspiriorum Luna ad ipsum
Fer precor has tacitas querelas.
O qui rotatu volvitis impigro
Axes corusci lucida sidera,
Vos oro cunctos nuntiate
Hos Domino steriles amores.
Dum quippe ab illo longius exulo
Mœrore quanto torqueor; irrita
Heu vota deflens, dum medullas
Victor habet violentus ignis.
Ast hæc libenter, sint licet aspera,
Stat ferre, Sponsus dummodo noverit
A me se amari, ac æstuanti
Igne animum penitus peruri.

PRO-

PROSA XXIV.

T = O pretiosam infirmitatem! Quæ huic comparari poterit firma et robusta sanitas? Hanc jure dicant Grammatici *Valetudinem*; hanc propriissime vocent Medici *Febrim* quia vere purgat animam. Nullus hic verborum fucus = JO = Calor hujus Febris mittitur divinitus, et hoc exprimunt verba illa Psal. 67. *Pluviam voluntariam segregabis Deus hereditati tuæ, et infirmata est; tu vero perfecisti eam.*

METRUM XXIV.

INfirmitate spiritus
Ni divexetur, nunquam conscendet amatæ
Ad sanitatis gaudia.
Langueat infirmus, sanus si optaverit esse;
Infirmitas est sanitas;
Ne mireris, amat semper contraria carni
Nam spiritus, diversaque
Consilia instituens; alia ratione movetur.

PRO-

PROSA XXV.

Ex hujus infirmitatis lectulo (est hic memoratæ mysticæ Scalæ *alter* Gradus) surgit anima, et quærit quem diligit, idque incessanter agit, obediens voci Scripturarum Psal. 106. *Quærite Dominum, quærite faciem ejus semper*. Deum tunc in omnibus anima requirit. Non dat sibi requiem, quicquid agit, quicquid meditatur, in omnibus quæ occurrunt semper Dominum quærit, omnia ad Deum refert, non hæret, non figit gradum, non consistit in aliquo, pergit, currit, volat. Rogat vigiles civitatis Sponsa an Dilectum vidissent, sed transit statim, eosque derelinquit = TYR = Probe.

METRUM XXV.

Quam dulce, quam beatum;
Mihi quanta erit voluptas
Si te Deus perenni
Studio, meisque cunctis
Votis, laboribusque
Noctes diesque quæram.

Hanc

Hanc cogitationem
Comitantur usque cunctæ
Dulcedinum phalanges.
Nil triste, nil severum
Animus timebit usquam,
Sed lætus omne tempus
Vitæ trahet serenum.

PROSA XXVI.

TYR. = Revera nihil jucundius, nihil dulcius = JO = Ex hoc secundo Gradu facilis patet adscensus ad TERTIUM in quo Anima desiderio flagrat, & vivo tangitur ardore laborandi propter Dilectum. Tunc parvum & exiguum ei videtur quicquid magni, & ardui propter illum agere contingit. Longum ærumnarum tempus reputat breve, & flammæ qua rapitur vis impedimenta quæ obvia fiunt, & carnalium omnium cupiditatum ligna evertit, superat, absumit. In hoc gradu sentit anima quid Deo ipsa debeat; se imparem tantæ gratiæ rependendæ agnoscit. Plana hinc Victoria, contra Superbiam, & vanitatem = TYR = Hui superbia subacta ecquid plenissimum remorabitur triumphum?

METRUM XXVI.

Non secus ac hastas inter gladiosque cruentas
Omnes irarum cum Mars effundit habenas
Si cadit ingenti confossus vulnere summus
Dux, subito turbati animi, revolutaque late
Ordine quæque suo miscentur; & arma trementes
Disjecti abjiciunt equites; fractique manipli
Deseruere locum; pedibus timor addidit alas.
Taliter adverso glomerata ex agmine cuncta
Diffugiunt vitia obtrunces si forte supremum
Ductorem inflammantem acies, & dira trahentem
Exitia; est illi crudele Superbia *nomen.*
Hæc pugnæ dux; pernicies, & tristis Erinnys.
Hanc hanc aggredere; hanc unam petat impetus omnis
Huc belli molem, vires huc contrahe totas.

PROSA XXVII.

IO = Celeris hinc ad QUARTUM GRADUM transitus, in quo acquirit anima vividam, & ardentem sitim patiendi propter Dilectum; hinc clamat: *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum*

tuum &c. = TYR = Hem, hic hic consistam. Ne tendas ultra. Scire piget quid postea sequetur. Quod quærebam inveni. Optabam ardentissime eo me in gradu collocari, ubi dicere possem: *Mihi absit gloriari nisi in Cruce Domini mei Jesu Christi*. Non intelligebam qui fieri posset ut inundationes maris instar mellis quis sugeret.

METRUM XXVII.

Felix o nimium felix si forte daretur
Pro te Christe mihi vincla, necemque pati.
Felices pœnæ; jucunda & amabilis illa
Mors est me Christo quæ sociare queat.

PROSA XXVIII.

JO = Non potes melius rebus tuis consulere; prudentissimus mercator es. Scilicet hinc ad veras delicias transitus cum amantissimus Dominus dilectos suos mœrore confici non patiatur. Audi ut loquitur per Jeremiam Cap. 2. *Recordatus sum tui miserans adolescentiam tuam, quando secuta es me in deserto*=TYR= Teneo quodnam sit desertum illud, & video

quam insipienter me gerebam dum tibi *vacuitatem intellectus*, & *voluntatis* urgenti præfracte repugnabam = JO = Sed quod ais nolle ultra progredi; quod vis in hoc gradu consistere id penes te non est; siquidem ardens illud desiderium quo incitaris ad patiendum pro Domino urget te ut impatienter optes & velis ipsum Dominum; & inde elevaris ad QUINTUM GRADUM Scalæ illius, in quo tam vehemens est ardor animæ suo se Dilecto jungendi, ut moras omnes exiguæ licet sint illæ & breves, aversetur, refugiat, recuset. Clamat cum David Psal. 83. *Concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini.*

METRUM XXVIII.

Langueo, deficio; torquet miserumque fatigat
Me desiderium, curaque tristis edit.
Atria sancta Dei cupio, exoptoque videre;
Is me sollicitum vividus ardor habet.
O felix nimium hæc si admittar in atria, & inde
Adspiciam gaudens interiora domus.



PRO-

PROSA XXIX.

IN *Atria Domini?* Scilicet sic dicebat in hoc gradu; sed ecce alacrior hic facta evolat ad SEXTUM GRADUM, & non Atriis Domini, sed ipso Domino optat potiri, & clamat: *Quemadmodum desiderat Cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus*. Nec mirum quia jam diffusa est caritas in ea; jam dilatatum est cor ejus; jam sine iniquitate currit. Volat ergo mira fortitudine roborata. Hunc gradum expressit Isaias Cap. 40. illis verbis: *Qui autem sperant in Domino mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut Aquilæ, current & non laborabunt, ambulabunt & non deficient.*

METRUM XXIX.

ATria quid memoras? Ipsa haud satis est domus; ille
Ille domus Factor conspiciendus erit.
Hunc ego anhelo, hunc discupio; hic me vividus ardor
Urget, mirificis sollicitatque modis.
Infelix semper Domino ni perfruar ipso;
Ni Dominum videam, tristis inopsque gemam;

PROSA XXX.

TYR = At agnoscit anima ad hunc gradum evecta felicitatem suam? Quis sensus tunc illi? = JO = Audet & confidit, & hac fiducia hilaris proripit se ad SEPTIMUM GRADUM, & ad hunc delata clamat confidentissime: *Osculetur me osculo oris sui.* Jam ubera Dilecti desiderat. Et scis quid hoc importet = TYR = O jucundissimam confidentiam! Audeo, & ego, & exclamo.

METRUM XXX.

Fulmina depone, ignitas dimitte sagittas,
Et Majestatis stemmata celsa tege.
Jucundus, placidusque veni, comitesque sequantur
Deliciæ, plenus lætitiæque chorus,
Triste supercilium, facies turbata; severa
Frons absit, mitis talia nescit amor.
Tu me dulcis amas, amo te; eja æquemus amores;
Sint eadem nobis jura, sit una domus.

PRO-

PROSA XXXI.

ME miserum! Quo progressus sum? = IO = Si ad gradum illum pervenisses non te di torum puderet. Siquidem talis est animæ quæ ad gradum illum pervenit confidentia, ut Moyses in eo positus non erubuerit sic Dominum alloqui: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis dele me de Libro tuo quem scripsisti* = TYR = Horrore quatior. Quem alloquebatur Moyses? An hominem sui similem? Majestas Domini . . . = JO = Non hic nisi voluptas; cum voluptate petitur, cum voluptate obtinetur: *Delectare*, sic dicitur tunc animæ, *in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui*. Hinc non mirum si in OCTAVO GRADU amplectatur anima Dilectum, & exultatione exultans exclamet: *Inveni quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam.*

METRUM XXXI.

INveni, inveni; Eja mihi vos plaudite Cœli;
Vosque meam Terræ dicite lætitiam.
Exuperant mentis captum; omnis lingua diserta
Deficit; attonitam gaudia tanta tenent.

Inveni, inveni Dilectum; en oscula figam,
Oscula tam longas non bene passa moras.
O lacrymæ, o trepidi quondam suspiria cordis,
Ærumnæque graves, assiduusque labor,
Parco libens vobis, noxam placitamque remitto
Si modo tam grandem sponte tulistis opem.

PROSA XXXII.

TYR = Ergo implentur in hoc gradu animæ desideria? = JO = Sed non assidue. Non enim permanenter hic figit pedem, imo brevissimæ sunt amplexus illius moræ. Vides in Cantic. Dilecta. Exultat illa de Dilecto a se invento. Chorum puellarum invitat ut ejus benignitatem, pulchritudinem, suavitatem admirentur; suo gaudio communicent; ut effusæ in plausus felicitatem suam prædicent. At ecce extemplo de ejus fuga tristatur et dolet, rursus in lacrymas ejulationesque relabitur. Audi illam.

METRUM XXXII.

ÆTernum lacrymis atque laboribus
Nunc o nunc propere mittite nuncium

Di-

Dilectæ Comites quas amor inclytus
Fecit perpetuas unanimes mihi;
Tanti participes vos volo gaudii;
Pro me si tenuit vos dolor hactenus.
Quem per tot nemorum lustra, tot ardua
Quæsivi toties per juga montium;
Non lassis pedibus, non oculis dedi
Optatam requiem. Non timui agmina
Custodum vigilum pervolitantium.
Et quid commemorem cætera? Noscitis,
Et vos jam memini sæpe doloribus
Vestros sponte meis ubere copia
Junxistis gemitus. Hunc ego denique
Inveni. O alacres currite, cernite
Dilectum. Niveis oscula figite
Plantis. Ferte rosas, lilia; texite
Ex his & subito vincula, scilicet
Ne rursus fugiat. Compede florea
Huc vincire juvat... Quid loquor! Hei mihi
Aufugit. Celeri se pede longius
Par ventis levibus, parque volucribus
Telis Cydoneis proripuit; meam
Et spem destituit, captaque gaudia.

PROSA XXXIII.

EXpectat tunc Animam NONUS GRADUS *in quo datur illi suavissime conquiescere in ardore Amoris Dei*. Ecce victoria; en

amoris triumphum; ecce pulcherrimas Divinæ Gratiæ opes. O Gratia adsis tandem.

METRUM XXXIII.

Auratas conscende rotas; eja indue vestem
Sepositam; exornet plurima gemma comas:
Pulchrior huc solito propera, plausuque secundo
Gratia *carbaseo lilia funde sinu.*
Adsit amica cohors, gressus comitetur euntis;
Purpureasque rosas spargat utraque manu.
Regnat Amor, lætos agit inclytus ecce triumphos:
Tanta triumphantem splendida pompa decet.
Regnat Amor; fit amoris opus, placidusque recumbit
Dilectæ in gremio denique castus amans.
Fortunata dies votis, lacrymisque petita;
Candidulas inter nobilis una dies.
Dic age quanta tuum pertentent gaudia pectus;
Quod tibi consilium, quis tibi sensus Amans?
Quid tu consilium, sensum, mentemque requiris?
Dilectum, si optas talia scire, roga.
Me totam ille habet, inque uno, ac ipso ipsa quiesco;
Ille meus sensus, consiliumque meum:
Ut pelago data gutta feror; demersaque in illo;
Illius & vita gaudeo, vivo, regor
Sum nil, sum totum; illud ego, hoc me reddidit ipse;
Nam sibi me jungit, me propriamque facit.
Cætera ne quæras, nam deficiemus uterque,
Quin jam deficimus; victi & utrique sumus:

Di-

Dicere si possem, non posses dicta tenere;
Deficiens audis, deficiensque loquor.

PROSA ULTIMA.

TYR = Imo ne sic cito abrumpas sermonem. Non paucis, sed multis me velis. Dic obsecro.... = JO = Quid dicam? Quis felicitatem animæ in hoc statu positæ enarrabit? Exsuperant longe mentis humanæ captum gaudia quæ in illo gradu animam pervadunt. Tunc jure felicitatem suam anima cognoscens exclamat: *Sub umbra illius quem desideraveram sedi, et fructus ejus dulcis gutturi meo; introduxit me Rex in cellam vinariam.* Scilicet ubi anima bibit non modo ad satietatem, sed et ad ebrietatem, ad extasim, ad languorem, ad somnum usque, ut sequitur; licet hæc amoris ebrietas et somnus spiritualis libertatem hominis, et judicium rationis, et mentem non evertat, sed ad divina elevet, et multa quæ vires hominum excedunt detegat, sensusque externos, et affectiones internas quasi sopitas relinquat. Largitur hic Sponsus Sponsæ suæ donum Supernæ Contemplationis non tantum *intellectivæ* ad modum Cherubim, qui scientiæ plenitudine fulgent, sed etiam *affectivæ* instar Seraphim qui amore toti ardent, et extra se rapiuntur in Deum. Sequitur; *ordina-*

navit (hebraice *vexillavit*) in me caritatem. Scilicet sub vexillo caritatis collectæ virtutes omnes; et vires animi et corporis certant optimis quibusque actibus, et modis hominem totum, et omnia creata in Deum transferre, Deum demereri; et quidem tanto studio, contentione, et constantia ut etiam languidæ, exhaustæ, et enervatæ nolint tamen vel tantillum remittere. Hinc anima ita cum amante unitur ut ipsum intra sua viscera recipiat, vel potius a seipsa *divulsa tota* in Deum *abeat*, et *tota sit intra Deum*, *unum quid cum ipso effecta*, *et cæterorum omnium oblita in ipso uno requiescat*; *ipsum unum intuens*, *unum diligens*, *uno fruens*; hinc exclamat: *Dilectus meus mihi et ego illi . . . . .* (1). *Ego Dilecto meo*, *& ad me conver-*

(1) Mysticorum sic loquentium mens non est agnoscere in anima nondum a corpore separata, nec ad intuitivam Dei visionem evecta eam cum Deo conjunctionem quæ in Cœlis habetur. Sed ajentes animam *transformari* in Deum; in Deum abire, & cætera quæ hic commemorantur, volunt significare vim amoris maxime vehementis qua anima in hoc statu ad Deum fertur; qui status, ut supra observavimus, non est permanens, imo neque diu durare potest. Advertendum quoque animam nunquam ad hæc venturam nisi totam se Deo permiserit; nisi terrenis omnibus rebus mortua sit, nisi uni Deo vivat. Confer Apostolum Galat. Cap. 2. *Vivo ego jam non ego; vivit vero in me Christus*. Huc revoca illud ejusdem Apost. Ephes. 3. *Ut impleamini in omnem plenitudinem Dei*. Hic est ille status qui ut ait S.

versio ejus . . . Anima mea liquefacta est in me . Scilicet non ex mœrore ut antea quando non invenit Dilectum, sed ex Consolatione, et vi tenerrimi amoris dum in eo invento delectatur. Sicut enim vehemens calor ignis liquefacit glaciem, eamque quasi a propria natura dimovet, jubetque diffluere, et commisceri terræ, intra eam imbibi, et cum illa quasi unum fieri, sic vehemens amor Dei liquefacit animam, et facit eam a se quasi diffluere, *et totam ita absorberi atque imbibi a Deo*, ut ex duabus unum effici penitus videatur. Hinc oritur extasis animæ, oblivio sui, transgressio in Deum, raptus, volatus, somnus, et liquefactio animæ; et sic Mystici dicunt: Animam deficere in se, perdere seipsam, in nihilum redigi, converti, et transfigurari in Deum (2). Ne tamen existimes animam in hoc

S. Thom. Opusc. 61. *Facit stringere indissolubiliter*, & subdit: *In præcedentibus gradibus anima amat & amatur, quærit, & quæritur, vocat & vocatur. In hoc autem gradu quodam miro & indissimili modo rapit & rapitur; tenet & tenetur; stringit & stringitur; & una uni per amoris copulam sociatur.*

(2) Fusissime supra exposuimus quomodo hæc sint intelligenda. Mysticos sic loquentes (quod & sæpius monuimus) improbare non possumus. Caute tamen illos accipimus, non verba, sed & mentem eorum in his persequimur. Detur hæc illis venia, quandoquidem sunt in Amoris disquisitione, & scimus amorem tendere ad similitudinem; & quanta vi profani ipsi Scriptores terrenum amorem pollentem nobis exhibeant, & in quæ locutionum monstra lasci-

hoc somno prorsus sopitam jacere, et otiari; nihilque intelligere, et nihil mente percipere, nam miras tunc illustrationes, excitationes, et affectiones recipit a Deo; idque non suo studio, et conatu, sed potentia solius Dei, anima *vitaliter* quidem, sed *passive* se habente. Est Otium non desidiæ fovendæ, sed sapientiæ hauriendæ. Omnis enim Unio, Amplexus, Somnus, Raptus, Extasis, aut Suspensio in qua mens intus nihil Divinum percipit vana et inanis est, neque a Deo procedit, sed vel a malo Spiritu, vel ex animi deliquio, ex debili corporis complexione nascitur, quia Deus nunquam motus corporis, et actiones sensuum externorum suspendit, nisi ut ab intus facilius, melius, et tranquillius mentem illuminet, et ad se rapiat. = TYR = Et quid ultra expectabit fortunatissima hæc Anima? = JO = *Ultimus* superest Scalæ gradus in quo sedet Deus. Ad hunc gradum anima *dum devenit*, *de-*

scivi Poetæ ad pessimam illam affectionem significandam proruperint. At quid terreni vis amoris si cum vi hujus nostri comparetur? Cœlesti ergo amore inflammatos qui hæc scripserunt suscipimus, & colimus. Absit ut in crimen vocemus. En quomodo hæc præclare exponat Ricard. a S. Victor. de Gradib. Caritat. *Anima unum amat, unum diligit, ad ipsum anhelat, ipsum suspirat, ex ipso marcescit, in ipso requiescit . . . Sed quis hujus affectus tyrannidem digne describat? Quomodo omne desiderium expellit: Quomodo omne studium excludit. Cum frui potest eo quod diligit, omnia pariter habere se credit. Sine illo horrent omnia, sordent universa.*

deserit corpus, et mortalitatis vinculis exuta intuitiva Dei visione potitur; similis fit Deo: *Similes ei erimus quoniam videbimus eum sicuti est*. Jo: Epist. I. Cap. III. vers. 2.



METRUM ULTIMUM.

M*Agne Deus quidnam hoc?* Similes *ais esse futuros*
Nos tibi *cœlesti cum te adspiciemus in aula?*
Nos similes Domino? Quæ stulta licentia stulte
Ausa sibi hoc daret, in tantum spe se ardua tollens?
Fingeret aut sibi tam felicia somnia demens?
O Pietas immensa Dei, o dignatio mira!
Vilis homo similis Domino? At cognoscimus omnes
Hoc quantum doluit, dolet, æternumque dolebit,
Exitio & quanto steterit tibi Lucifer olim
Cum similem Domino dixisti te esse futurum.
Ille Poli princeps, ille & dux agminis omnis
Aligeri, proceres inter pulcherrimus unus
Sidereos, nulli tunc majestate secundus,
Debuit hoc dicto tantum subiisse malorum?
At nos primævæ infecta e radice creatos
Vasa iræ, miseros diræ natosque gehennæ
Christe tuo ablutos penitus fluitante cruore,
Inque tui sortem Regni, partemque vocatos
Eximio lætos tali dignaris honore.
Ecquis atrox adeo, quis totus ferreus unquam
Temperet a lacrymis, & non ut cera liquescet,
Il-

Illa suæ menti quoties occurrit imago
Lucis, cum nexu carnis, vinclisque solutus
Ipse volans celeri petet astra micantia cursu,
Æterna & sedes invectus luce coruscas
Divinis epulis accumbet; cumque supremus
Conditor ipse Orbis se se præcinget, *&* ipsi
(*O res mira*) ministrabit. *Nos credimus ipse*
Dixisti quoniam Domine. Ecquis talia fari,
Si non dixisses, alias auderet? At illud
Conturbat propius quod te perhibente magistro
Audivi, & didici, & servo, quod nempe recumbens
Sit major, *potiorque* ministrante. *Intonet altum*
Et Michaël: Quis enim ut Deus. *Hæc ego mente revolvens*
Hæreo; non oblita mihi mea namque putredo.
Ast quid nunc dubitem? Piget hæc memorare. Manebit
Polliciti inviolata fides per sæcula cuncta;
Nullaque te Pater omnipotens sententia vertet.
Ex*pectamus; Enim nos spes non fallet amica;*
Utque audivimus *hæc ita se cernemus habere.*
O Domine ex toto quis te non pectore semper
Diliget, atque omnes tibi non sacrabit amores?